

PALAESTRA LATINA



ANN. XXXVI (Fasc. III) - N. 195
M. SEPTEMBRI - A. MCMLXVI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^o Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: P. M. Molinam, C. M. F. - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191.-1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN XXXVI (Fasc. III) N. 195

M. SEPTEMBRI A. MCMLXVI

PAULUS VI S. PONTIFEX EOS QUI OMNIUM GENTIUM AC NATIONUM CONVENTUI LATINIS LITTERIS LINGVAEQUE FOVENDIS INTERSUNT, BENIGNE ALLOQUITUR	97
P. C. EICHENSEER, O. S. B., <i>Quid sit ex Conventu Romano sperandum et exspectandum</i>	100
PROF. RAPHAEL PAONE, <i>Sulamis</i>	104
P. L. M. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Ave, salve et vale apud Latinos scriptores</i>	110
EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM, <i>Eichenseer-Mir; Beach-Mir</i>	116
P. N. MANGEOT, S. J., <i>Publius Aelius Hadrianus Imperator (117-138)</i>	123
P. M. MOLINA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	127
BIBLIOGRAPHIA, J. Aspa, Jiménez Delgado, I. Jiménez, C. Latorre, J. L. Latorre, M. Molina, E. Tejerina	130

PALAESTRA LATINA
LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXVI (Fasc. III) — N. 195

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXVI

PAULUS VI S. PONTIFEX
EOS QUI OMNIUM GENTIUM AC NATIONUM CONVENTUI
LATINIS LITTERIS LINGVAEQUE FOVENDIS INTERSUNT
BENIGNE ALLOQUITUR

Salvere jubemus vos, insignes et honorabiles viri, fatemurque vos et exspectatos et gratos, hoc mane coram admissos, in Vaticanas aedes venisse.

Invitatu et arcessitu Instituti Romanis studiis provehendis, ex fere omnibus gentibus terrisque profecti, Romae conventum facitis, in id vestris conspirantibus consiliis, ut Latinis litteris et linguae faveatis.

Praesentia vestra —credite— vehementer delectamur, ac sincere plannum facimus, Nos observantiam adversus vos et sentire et praeberere. Nam illud Tullianum saepe menti subit effatum, ut qui Romanorum sermonem calleant merito honore prosequamur: «non enim tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire» (Brutus, XXXVII, 140).

Vos autem non modo linguae Latinae insigniter gnari estis, sed eximii cultores vel doctores. Quin etiam multi ex vobis —circumspicientes possumus hos nominatim appellare— eam magisterii gradu, operibus sive prosa oratione, sive versibus exaratis, lexicis concinnatis, tractatibus elaboratis, acumine ingenii in omni judicio et in dicendo elegantia cum munditia et luce verborum claram adepti estis famam, nomenque vestrum magnorum virum volat per ora.

Verumtamen aliud est quod tum vobis conciliat gratiam, tum existimatione vos perquam dignos facit. Latinitatis causam agitis atque tutamini, quamvis varii diversique natione, caelo, cultu vitae, unanimo tamen consensu et alacri concertatione. Ob id certe post Avennionem, Lugduni, Argentorati a vobis peractos coetus, Romam stationem sedemque celebritatum delegistis, invitanti ejus voci obsecuti: «antiquam exquirite matrem» (Aen. III, 96).

Percommodus profecto vester fuit delectus. Ubinam locorum Latinitas majores vires majoraque alimenta invenire potest, quam hac in Urbe, ubi Latinitas prodiit, adolevit, neque hactenus passa est senectutem et novae viriditatis spem exhibet. Inter omnes constat multis ex causis inclinatum ejus esse fortunam et quodam modo ejus casum timeri. Majore fortasse impetu et reviviscet, resurget: sol um-

brarum interpositu et interjectu interdum obscuratur, at non moratus invictus regaliter refulgere.

Hujus rei gratia Ecclesia pro suo munere diligentiam et operam navat et navabit. Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum, salutaribus quidem decretis, in sacrae liturgiae ritibus etiam vernaculorum sermonum usum concessit, pastoralis utilitatis rationibus merito poscentibus. Quodsi verba cogitationes natura sua exprimunt, maxime in divini cultus actibus et in colloquiis cum Deo serendis sensum mentis sermonis delectu praepediri fas non est. Quin potius is, qui adhibetur, sermo mentis cogitatis et animi affectibus famuletur oportet, eis deserviens sive in ore sacrorum ministrorum, sive in labiis populi invocantis nomen Domini et confitentis laudes ejus. Quod quidem S. Augustini acute dicta haud minus dilucide enuntiant, quam graviter probant: «Melius est reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi». (Enarr. in Ps. 138; P.L. 37, 1796). «Jesus, id est Christus Salvator. Hoc est enim latine Iesus. Nec quaerant grammatici quam sit latinum, sed Christiani quam verum...» (Serm. 299; P.L. 38, 1371).

Tamen Ecclesia nostra, prouti Latina et Romana est, publicam suam Latinam linguam obtinet, exercitatione sustentat, profuturis incipientis colit. In quibus memoratu dignum ob oculos habuistis Romae conditum Pontificium Institutum altioris Latinitatis, in quo multum spei reponitur fore, ut, cum optimi cujusque magistri disciplinae pateat, et nova ratione et via ad omnem humanitatem adolescentes informet, Latinitas ad honorem revocetur ex ingenio eorum, qui docent, ex praescripto eorum, qui praesunt.

Non una causa est, cur vobis valde gratulemur, quod linguae Latinae decus tueamini et eo contendatis, ut honorem per omnes gentes venerabilem diffundatis. Est enim lingua pernobilis et numerosa, copiosa et futtilitatis fastidiosa, comis et vehemens, ad sculpendum verum et justum peridonea, plena decoris, incessu patens regina, pulchrior parens pulchrarum filiarum, quae se ipsas nesciunt, ubi ea nescitur, et suis expressa formis operum exemplaria exhibet «linenda cetro et levi servanda cupressu». (Hor., De arte poetica, 332).

Licet haurire e Latino emporio sapientissime, ornatissime, splendidissime scripta sive ad profanos, sive ad sacros auctores —Ecclesiae latinae Patres et doctores— pertinentia. «Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae jacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet». (Cic., Pro Archia, VI, 14).

Nativa sua dignitate ac litterarum suarum monumentis lingua Latina ab honorabili viro perbelle nuncupata est «artium optima magistra» eaque ei visa est magnopere conferre «ad gravissimam illam causam liberalioris institutionis publicae» (I. M. Borovskij).

Cum omnis civilis animi cultus e linguae Latinae cultu nactus est et nanciscitur praesidium, quod cum paucis est comparandum, tum maxime illi honori et merito fuit, quod doctorum et eruditorum communis lingua multa per saecula exstitit. Theologi, philosophi, mathematici, medici, jurisperiti, philologi, inter se hujus linguae commercio usi sunt. Quae cum perdisceretur et in amore haberetur, res litterarum publica «erat terra labii unius» (Gen. 11, 1).

Difficili demonstratione Latine de studiis mechanicis, hydraulicis, astronomicis edisserebatur; graviter pingebantur vegetantia, fossilia, animalia; ab Hispania ad Poloniam, a Scandinavia ad Siciliam, humanitatis doctrina exculti viri hac nobilissima lingua inter se colloquebantur. Iisdem in finibus ob «poliglottias» varietates et in alium ex alio sermone versiones et profusam vernaculam loquacitatem et librorum proluviem, splendidam ac fructuosam id genus unitatem babylo-nica quaedam locutionum perturbatio consecuta est, cui multimodis nec inepte adhibentur remedia.

An sperandum est, et in id conferenda opera, ut lingua Latina pristinas possessiones servet et amplifcet? Hoc quidem multis est in votis, quorum in exspectatione ipsius Vergilii versus (an oracula?) ad ea quae cupiunt deproperanda referre licet: «Imperium sine fine dedi (Aen. I, 279) ...faciam omnes uno ore esse Latinos» (ibid. XII, 837).

Non infitiandum est rem esse gravem, laboriosam ac magnis difficultatibus obseptam. Sed saltem ex parte et communi cum utilitate, ad effectum deducetur, si in id incumbetur, ut quemadmodum vetera, ita nova reperta majoris momenti Latinis vocabulis significantur.

Jam vero tempus est, ut ad exitum Nostrum perducamus alloquium, quod salutaribus precationibus et bono omine placet Nobis concludere.

Latinus ager, qui non quievit, vestro studio, industria, exercitatione fructus proferat uberrimos et suaves.

Conventui vestro contingat is, qui optabatur exitus. Cum, Romano confecto itinere, domum redieritis, ad studium doctrinae et humanitatis cum vos applicabitis, cum in litteras amanti cura mentem intendetis, quae «adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur» (Cic., Pro Archia, VII, 15), in Latinas litteras impensius incumbite, Latinitatis facem sueto sublimius et rutilantius agitate. Non tenuis vobis labor, at non tenuis gloria, quia causae optimae patrocinantibus vobis exstabit officii meritum, quod imprimis Nos agnoscimus magni esse momenti. Omnipotentis Dei gratia vobis praesens adsit, vobis et inceptis vestris propitia aspiret.

PAULUS VI, S. Pontifex.

Romae, die XVI m. aprilis a. MCMLXVI.

QUID SIT EX CONVENTU ROMANO SPERANDUM ET EXSPECTANDUM

Romam, in urbem principem orbis olim Romani, medio mense Aprili circiter quadringenti¹ viri mulieresque atque virgines juvenesque confluerunt, ubi de litteris latinis commode fovendis, de sermone latino etiamnunc utiliter usurpando et provehendo, denique de inceptis aliquatenus prosperis, subsidiis novis artis technicae, praesentia mirabili linguae latinae nondum effetae et vietae multum inter se communicarent.

Atque primum quidem diebus prioribus de condicionibus institutionis latinae, quales nunc sunt sive intra fines Europae sive extra diligenter relatum est, deinde de rationibus praemiisque propositis, quibus ingenia excellentia excitarentur et ad latine commentandum atque poetandum instigarentur, denique de modis normisque nominum verborumque necessario fingendorum confingendorumque, quibus vocabulis novae res Romanis antiquis nondum notae dilucide distincteque denominarentur.

In verbis autem acroasibusque faciendis Poloni potissimum aliique populares Europae magis orientalis mirum quantum sua ipsorum disertitudine facundiaque exstiterunt. Quae res jam initio, cum in oeco quodam splendido molis Capitolinae celebritas exordialis ageretur, a plerisque plausibus summis animadversa est. Nam ibi post multa verba consalutationis complurium oratorum Italice prolata, Casimirus Kumaniecki, professor Varsaviensis, primus ad congregatos latine contionatus est, idque sermone sollemni et pereleganti².

Sed horis postmeridianis ejusdem diei alii quoque in consessu, qui fiebat in ipsius studiorum universitatis aedificio principali, acroases fecerunt latinas, velut Julius Campos Ruiz, professor Salmanticensis, Robertus Schilling, professor Argentoratensis (seu Strateburgensis), Goduinus Beach, magister Americanus de lingua latina propaganda optime meritis. His alii numero non pauci adnumeran-

1. Cf. acta diurna, quae inscribuntur *Osservatore Romano* (Observator Romanus), ann. 106 (n. 32.164), 17 Apr. 1966, p. 1: circa quattrocento illustri latinisti.

2. Cf. acta diurna, quibus est index *Osservatore Romano*, ann. 106 (n. 32.163), 16 Apr. 1966, pág. 4: Il prof. Kumaniecki, dell'Università di Varsavia, ha rivolto, in elegante latino, un saluto a nome dei congressisti stranieri.

(Cf. AAS 58 (1966) 185: per acta diurna, quibus *L'Osservatore Romano* est index...).

di sunt, qui aliis quoque diebus in disputationibus institutis sermone sunt usi latino.

Sed in eo erat, ut eis nuntiis, qui sunt die XV mensis Aprilis, id est secundo die conventus, de condicionibus institutionis latinae variarum nationum populorumque propriis relati, audientium animi potius aliquatenus angustarentur quam nimis exhilarentur. Tamen inceptus quidem revera sunt causa, cur jure speremus rem latinitatis hic illic magis magisque in melius mutari.

Nam Georgius Labouesse, professor Parisiensis linguae latinae, qui praeest institutioni radiophonicae Galliae, diserte rettulit in Franco-gallia centum milia discipulorum linguam latinam non sine successu radiophonice discere. Jacobus autem Borovskij, professor Russus, qui non potuit ipse adesse, rescripsit exercitationem latine loquendi non inutilem esse, immo utilissimam, ideoque saltem Leninopoli morem latine loquendi a majoribus traditum etiamnunc retineri. Porro Vilhelmus Stuart Maguiness, professor Londiniensis, rettulit in Angliae academiis Athenaeisque olim a discipulis postulatum esse, ut poemata Anglica in Latinos versus verterent. Eandem rem hodie non jam posci, tamen non paucos discipulos praemiis propositis incitatos sua sponte latina carmina contexere eademque in libros libellosve collecta cum delectatione gaudioque legentium edi. Idem discos phonographicos, pelliculas cinematographicas, tabulas aliaque subsidia technica laudavit, quibus instrumentis discipuli non nihil adjuvantur. De pronuntiationis autem modo dixit post Villelmi Sidney Allen, magistri Cantabrigiensis, librum nuper editum³ omnibus fere in scholis pronuntiatum antiquum, quem dicunt restitutum, cum emolumento discentium in usum venisse⁴. Sed Josephus Svennung, professor Upsalensis, per litteras recitatas renuntiavit etiam mensuras vocalium a praeceptoribus observandas esse. Addidit in scriptis aevi medii, quod ajunt, litterarum sonos more translaticio in Suetia proferri. Subjunctum rationem institutionis et imaginibus et explicationibus antiquitatum et historiae et mythologiarum et artium copiose dilatandam esse.

Deinde Saturni die, XVI mensis Aprilis, praeter admissionem maxime memorabilem ad Paulum VI, Summum Pontificem, et distributionem praemiorum certaminis Vaticani, horis postmeridianis atque vespertinis quaestiones tractatae sunt, quae magis ad studia tractatusque philologicos saeculi nostri spectabant.

Postridie ejus diei horis antemeridianis de variis certaminibus propositis, ut Capitolino vel Vaticano vel Hoeufftiano, eorumque finibus relatum est.

3. W. Sidney Allen: *VOX LATINA. A Guide to the Pronunciation of Classical Latin*, Cambridge 1965 (University Press), pp. 112.

4. Cf. MAR. VICTORIN. *gramm. VI* (ed. Keil, Lipsiae 1874), p. 34,22..., cum in usum venerint.

Denique die lunae, XVIII mensis Aprilis, eodemque ultimo conventus Romani, novi instituti Latinitatis, quod est apud Pontificium Athenaeum Salesianum, cunctis praesentibus portae patebant, atque id quidem etiam in cenaculum ejusdem domus amplissimae ad convivium meridianum ibidem commode hilareque participandum.

In ejusdem molis auditorio maximo spatiositate jucunda aerisque temperamento automato celebri post verba Alfonsi Stickler, rectoris magnifici, Antonius Bacci, pater Cardinalis idemque linguae latinae fautor amplificator cultorque celeberrimus, de verborum novandorum praeceptis observandis prolixè copioseque disseruit. Similem quaestionem pertractandam exemplisque non paucis explicandam Josephus Maria Mir, professor natione Hispanus idemque vocabulorum novorum confictor diligentissimus atque sollertissimus et quondam moderator commentariorum PALAESTRAE LATINAE, suscepit. Sed propter temporis angustias ipse et Hamletus Tondini, dominus reverentissimus idemque moderator commentariorum LATINITATIS, infeliciter coacti sunt partes quasdam potiores subtilioresque suarum tractationum praetermittere.

Ad extremum consilia quaedam capta sunt et votorum conceptorum sententiae prolatae atque comprobatae, quibus edicebatur, ut primo consilium quoddam quaestionum ad tales conventus spectantium apud institutum Studiorum Romanorum, quod dicitur, constitueretur, deinde in posteris conventibus praeter consalutationem exordia magistratum acroases ne fierent nisi latinae, post proximus conventus post tertium annum in Germania haberetur. Exoptabatur etiam, ut litterae suasoriae ad singulas academias sive studiorum universitates mitterentur, quibus enixe commendaretur, ne quis ad magisterium linguae latinae admitteretur nisi qui latine loqui et scribere sciret.

Ergo sperandum est fore, ut haec consilia consulta et salutaria feliciter ad effectum adducantur. Deest enim plerisque usus linguae latinae, desunt vocabula rerum instrumentorumque recentiorum, deest consuetudo cottidiana sermonis latini. Sed acroasibus luculenter factis satis demonstratum est, quid etiam nunc sermo latinus valeat ad consilia communicanda, ad studia communiter gerenda⁵, ad cognitiones sive rerum sive litterarum percommode participandas, denique ad animos eorum quoque hominum, qui nunc sunt, singulariter commovendos et conformandos.

Ceterum femina quaedam Americana cum verba latina palam in conventu facta perciperet, cum colloquiis se sermone latino junctis motisque immisceret, cum non paucos inter se latine confabulantes

5. Cf. RVFIN. apol. Orig. epil. 16,3 (CChL 20,17) qui non contentionis sed veritatis studium gerit.

videret et corridentes, iterum iterumque voces admirationis emisit, cum non semel diceret: «mirabile, miraculum; beata sum, sum per-beata».

Sed praeter contiones habitas, disputationes consertas, consultationes transactas permulti libelli librique novorum textuum novorumque experimentorum sive methodicorum⁶ sive institutoriorum exhibiti sunt. Ibidem praeter discos phonographicos verborum seriorum aut ludicrorum vel etiam cantilenarum sive in Germania sive in Gallia sive in Italia sive in Hispania confectos tria lexica proposita sunt, quibus amplissimis rerum novarum nomina non pauca diligentissime composita continentur. Horum aliud Orestes Badellino, professor Taurinensis, condidit, aliud Mediolani editum Josephus Pittano confecit, aliud forma minus Varinus Pacitti conscripsit. His adnumeranda sunt ea vocabularia praeclara multumque celebrata, quae Antonius Bacci, pater Cardinalis, et Hamletus Tondini una cum Thoma Mariucci considerate et circumspecte ediderunt. Ergo multa subsidia qualitatis laudabilis suppeditata sunt et incitamenta linguae latinae varietatibus vitae distincta praebita sunt et allata. Insuper variae viae rationesque sermonis latini conserendi linguaeque latinae necessitatibus hodiernis aptandae monstratae sunt.

Ceterum Francogalli ex diebus conventus Argentoratensis anno 1963 celebrati in his rebus mirum quantum profecerunt. Ergo nunc quoque spes magna est, ut perspecta perceptaque utilitate facilitateque linguae latinae conventus Romanus Italis quoque aliisque non paucis incitamento sit maximo.

Sed hac in re, quae non est unius populi vel gentis vel nationis, iterum iterumque inculcandum est, ut uniformitas pronuntiatus vere latini servetur, atque id quidem ibi potissimum, ubi de discorum phonographicorum auditionibus agitur et de acroasibus radiophonicis atque radiotelevisificis, quae sint omnibus exemplo.

Quod autem ad usum linguae latinae attinet, post primos inceptus instaurationis et renovationis perdifficilis jure major profectus exspectatur et universalior. Sed necesse est non solum verbis rhetorice conceptis speciem quandam perfectam ostendere, verum etiam difficultates objectas omnibus viribus atque opibus singillatim superare et dissolvere. Unusquisque autem id curet, ut subsidiis jam paratis prudenter usus ea, quae dicturus est, non raro dicat latine sive vocibus perceptibilibus sive verbis legibilibus et intellegibilibus. Inde sperandum est et exspectandum verum latinitatis et excitamentum et fomentum atque augmentum vitalitatis vere mirabilis.

P. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.
8917 St. Ottilien (in Germania).

6. Cf. ThLL VIII 880,80 sqq.: mēthōdicūs, -ā, -ūm.

S U L A M I S

*Carmen fratri in Christo carissimo dicatum
Prof. FAUSTO SALVONI, Mediolanensi bi-
blicarum scientiarum eximio cultori.*

Spiritus omnipotens et Mens aeterna creatrix,
non res humanas, precor, adspirate canenti:
hic opus, hic labor, hic caelorum lumina sunt.
Quam laudant cantantque volumina sacra, Deique
ipsius celebrant ornatam nomine sponsae,
haec memoranda mihi, divisque canenda Camenis.

Quae regionis erat purissima gloria, flos et
gemma puellarum ducta est Salomonis ad amplam
auratamque domum, dum pectore versat amorem.
Sive suum ob sponsum longinquum maesta Sulamis,
qui per convalles agnas ad pabula ducit
qua magis agrestes cytisi floretque myricae,
sive ea tum subita est commota cupidine regni,
insilit in currum vicos agrosque secantem...

SPONSA “Ignaram princeps tetigit me nuper amantem,
ignaram laetae me turbavere puellae,
quas currus rapuit: quae dulcis imago fefellit?”

SALOMON “Non mihi tu pellex; contra, regina nitebis;
tu clarae Solymae et regnum Davidis habebis!”

Tota suo sponso jam sponsa sacrata, per omnes
noctes suspirans, fundit, gemebunda columba,
vota precesque suas:

SPONSA “Mi sponse, ter oscula tantum
me tua dum vivam, me semper, amate, beabunt:
est amor immo tuus potior dulcedine vini,
balsaminisque tuis repletur odoribus aer:
inde puellarum numerus te diligit ingens.
Me trahe, suavis amor tua per penetralia sponsam!”

Somnia vana tamen ludunt agitantque puellam,
dum studet optato somno depellere curas.

Esse sibi visa est Salomonis regia conjunx
cantibus et choreis Solymae celebrata triumpho,
insignis lauris sertisque decora rosarum...

SPONSA "Vox mihi dulcis, mihi vox amata
personat urbe!

Monte de celso ruit ecce sponsus,
anxius cervus; penetrans fenestram
per meam intentis oculis anhelat
visere sponsam.

Dein mihi cara loquitur loquela:"

SPONSUS "Surge, sponsarum radians ocelle;
ver adest, morsus abiere saevi
temporis acres.

Floribus rident rutilantque glebae;
turturis cantu tremulo gementis
vineae gemmant, referunt odores;
surge, columba!

Surge: de petrae latebris, amica,
me tuam praebe faciem beantem;
vox mihi dulcis resonet per hujus
pectus amantis!"

SPONSA "Frustra per lectum tota me nocte volutans,
te mihi quaesivi, te sancti pignus amoris!
Inde per immensam sponsum dum persequor urbem
(at tamen incassum!), primo mihi mane repente
obvius occurrit sponsae tunc sponsus amatus.
Illum sic captum numquam post inde relinquam,
donec erit matris domui pars integra nostrae!"

SPONSA "O Solymae natae, lacrimis his ferte lenimen:
vidistisne meum dilectum, nocte sub alta,
sponsum, ducentem pecus aut ad culmina montis?"

—Experiens animum sponsi nam clauserat illa
ostia... et experiens sponsam quoque diffugit ille—.

SOLYMAE NATAE

"Qui color est illi? —nobis, pulcherrima, pande,
ut quacumque tuum tecum quaeramus amantem—".

SPONSA "Candidus atque rubens ille est; ex mille renidet
is vultu: caput ex auro, nigrique capilli;
labra rosae sunt et stillantia lilia odorem;
marmore crura micant; manibus nitidisque refulget;
ejus et aspectus Libani ceu cedrus odora:
sic meus est sponsus, natae Solymaeque puellae!..."

SPONSUS “Quot sunt reginae Solymae, tot munia laudum
jure tibi fundunt; te sic ubicumque beatam
concelebrant, quibus arrides sublimis; et una
cunctas delicias, mulier carissima, vincis:
hortus conclusus... fons signatusque sigillis;
pulchra, decora nimis surgens aurora, velutque
palma virens, fragrant cui roscida mella per ora”.

SPONSA “Corda mihi vigilant laxanti membra quiete:
ecce meus rediens mea percutit ostia sponsus!
Est mihi dilectus, cujus lassata sub umbra
sistere cum potero tum viva capessere somnum;
cujus amore mihi languebit spiritus usque!...”

SPONSUS “Vincis auroram, mulier, nitentem;
luce tu plenam superasque lunam;
sole te cantat Deus esse sponsam
splendidiorem.

Dant rosae et palmae tremulae figuram,
ora malorum tibi dant odorem;
fluctuant uvae veluti racemi
ubera crudi.

SPONSA Dulciter spirant tua labra vinum...”
“quod tibi sponso labiis et albis
dentibus vinum ambrosium bibendum,
pectore et imo!

Frater o carus mihi tu fuisses,
filius nostrae genitricis almae:
te mihi coram populo osculari
rite liceret!”

SPONSUS “Turris est collum radians eburnum;
aureus crater tuus umbilicus;
gemmeae coxae tibi sunt pedesque
arte decori.”

SPONSA “Sponse mi dulcis, teneras per herbas
pacis optatam capiamus horam,
quam dabunt nostri meritis amoris
terra polusque.

Mane, surgentes, rutilante prima
luce solari, precor ut petamus
vineas nostras, valeamus inde
carpere fructus.”

AVE, SALVE ET VALE APUD LATINOS SCRIPTORES

In hac commentatione mihi proposui leviter attingere nonnulla quae de vocabulis salutationis nec non et valedictionis apud auctores Romanos passim occurrunt, quod lectoribus fore gratum et utile spero.

Apud Latinos praecipue inserviebant salutationi duae formulae: «ave» et «salve». Agedum inquiramus quibus rebus inter se differant.

Ave idem est quod graecum χαίρει, scilicet *salve, bene te habe, cupio te bene esse*. Praesertim adhibebatur in salutationibus matutinis amicorum et clientum, nam in vespertinis dicebatur *vale*, ut docet Suetonius. Sed hac de re inferius agam. *Ave* dicebatur etiam cum quis ad alterum adibat vel accedentem salutabat: «puer cum nasceretur, «ave» dixit (OBSEQ. 41). «Care... ave» (Ov. *Pont.* 4,13,2). Et illud Petronii: Subiit alia classis servorum, et illi quidem exclamavere: «Vale, Gai», hi autem: «Ave, Gai» (74).

I. «AVE» EX USU PALAESTRAE ORIGINEM DUCIT.

Formula *ave* originem videtur trahere a lingua palaestrae. Quod demonstrat Martialis (III, 95,1,14):

Numquam *dicis have* sed reddis, Naevole, semper,
quod prior et corvus dicere saepe solet.

... ..

sed praedicaris, sed pulchre, Naevole, ceves.
jam jam tu prior es, Naevole, *vincis*: have.

Quod «*vincis have*», vel «*vincis ave*» fortasse aclamatio fuit. Id eo vel maxime confirmatur, quod in vasculo quodam, in quo ludi gladiatorii depicti apparent, hanc inscriptionem legere licet: «Hierax vale, Olympe vale, Antioche vale, Crescens ave». Quae quidem inscriptio sic interpretatur, Crescentem illum alios gladiatores superasse, quam ob rem hac salutatione «ave» acclamari.

Quo ex usu facile intelligitur, hanc formulam idem notare ac «gaude». Spectatores enim eos gladiatores, qui aut jam vicerunt aut victuri videntur, admonent ut, victoria potiti, ea in primis gau-

deant. Et re quidem vera *avere* est speciatim vehementer *gaudere* et *laetari* in re aliqua agenda (cf. PAUL. DIAC. 14,9), ac propterea eandem vehementer cupere atque expetere. Sic Ennius apud Varronem (*L.L.* 6,83): «Jamdudum ab ludis animus atque aures avent, avide expectantes nuntium». Quo sensu usurpatur praecipue Part. *avens* pro *libens* seu *lubens*: cf. GELL. 19,7 et HOR. *Sat.* 2,4,1: «Non est mihi tempus aventi Ponere sigua novis praeceptis» (Vide sis Forcellinum sub h. v.).

Ast controversia est, et quidem non minoris momenti, de origine vocis. Putarunt enim quidem viri docti formulam esse derivatam ex Punica illa salutatione, quae significat «vive», cujusque pluralem numerum «avo» scriptum videmus apud Plautum (*Poen.* 994, 998, 1001).

Nobis tamen tenendum videtur «ave» esse omnino imperativum verbi *aveo* vel *haveo*, *es*, *esse*. Nam, teste Paul. Diac. (14,9), «*aveo* est gaudeo, bene vel optime me habeo, lactus sum», sicut *salveo* idem est ac salvus sum, bene me habeo, sanus sum. Festus autem (14) adnotat: «*avere* nihil aliud est quam *cupere*. Argumento esse *avidum* et *aviditatem*, ex quibus praecipue cupiditas intelligitur, cum significat et «gaudere». Hic ipse locus maxime idoneus est ad sententiam nostram fulciendam. Nam quid melius spectatores certantibus, inprimis autem iis, qui victuri videbantur, acclamare poterant, quam quod simul gaudium et cupidinem vincendi ostenderet?

E palaestra igitur formula «ave» in vitam cotidianam commigravit et salutatio est facta. Erat autem salutatio alloquentis vel scribentis, ut patet ex SALL. *Cat.* 35,5, ubi in fine epistolae Catilinae dicitur «haveto». Et imperator Augustus, epistolae initio ait: «Ave, mi Gai» (GELL. 15,7,3). Item Seneca (*Benef.* 6,34,3): «vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis «have» non nisi suo ordine emittitur, quorum salutatio urbem concutit». Ausonius vero (154,5): «dicendum amicis est have valeque, quod fit mutuuum». (Notanda illa sunt quae exstant apud Bibliam nostram Vulgatam: «Ave, gratia plena», «Ave, Rex Judaeorum», «Ave, Rabbi», cet.).

Jam vero, vox *Have* saepius legitur pro *Ave*, etiam in titulis, quorum tamen plurimi neque bonae aetatis neque eruditorum homines sunt (Th. L. L. sub h. v.). Sed censemus Quintiliano fidem esse habendam, qui in suis *Inst. Orat.* 1,6,21 haec asserit: «litteratus sine aspiratione et producta secunda syllaba salutatur». Inde apparet apud homines eruditos «ave» in usu fuisse, cum «have» sermonis vulgaris esset.

Ceterum, praeter *ave* et *avete*, quae formae apud eos scriptores, quas nos accepimus, persaepe occurrunt, Charisius (1,254,20) has item formas testatur: *aveto tu*, *aveto ille*, *avere te* (*vos, illos*) *volo*.

Animadvertendum est hanc formulam salutandi a scriptoribus an-

tiquioris aetatis, ut a poetis comicis, nondum usurpari. Antiquissimum exemplum est apud Ciceronem in *Epist. ad Fam.* (8,16,4): «simul atque «ave» mihi dixit, statim, quid de te audisset exposuit». Sed paulatim ita in usum venit, ut Domitiani temporibus formulas salutationis frequentia longe superaret. Praeprimis facta est propria formula salutationis quae vocatur matutinae. Cujus rei testis est Martialis 4,68,3 ss.:

Discurrens tota vagus urbe nec ulla cathedra est.

Cui non mane feras inquietus *ave*.

Itaque idem poeta, cum imperativum pro substantivo adhibet, salutationem ipsam, «ave» vocat, ut epigr. 1,55 35:

Quisnam picta colit Spartani frigora saxi

Et matutinum portat ineptus *ave*.

vel 7,39,1 ss.:

Discursus varios vagumque mane

Ea fastus et *Have* potentiorum

Cum perferre patique jam negaret.

Sed haec sufficiant de «ave». Nunc transeamus ad aliam salutationis formulam, nimirum ad «salve», cujus tanta est frequentia apud auctores, ut perfunctorie tantum de ea nobis agendum sit.

II. «SALVE» FORMULA OMNIUM CREBRISSIMA.

Sed apud scriptores priscae latinitatis omnium formularum saepissime obviam occurrit «salve». Quae formula arctissime cohaeret cum voce «salutis». Ultima syllaba semper producitur, cum imperativus vocis *salvere* sit, nisi apud Martialem epigr. XL, 108 codices deteriores, pro «solve» exhibent «salve».

Quid vocabulum significet, vel ex Lucilii quodam versu (VI, 230), intelligi potest: «*Salvere* jubere salutem est mittere amico». Cum autem advenientes salutabant, utebantur *salve* et *salvete*, quemadmodum *vale* dicebant abeuntibus. Praeterea, constat plane in matutina salutatione *salve* dicere, *vale* in vespertina. Sic Suetonius (*Galba* 4, extr.): «Veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua haerentem, obstinatissime retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac *mane salvere*, *vesperi valere*, sibi singuli dicerent». (Vide etiam Suet. *Aug.* 53, et *Tib.* 72, extr.). Apud PLAUTUM vero: (*Rud.* 432): *Salvete*, fures maritimi, famelica hominum natio. Tandem CATULL. (43, 1): *Salve* nec minimo puella naso.

Mos erat quoque apud Latinos «salve» formulam adhibere in adoratione et invocatione deorum. LIVIUS (1,16 extr.): Deum Deo natum, regem parentemque urbis Romanae *salvere* universi Romulum ju-

bent. PLINIUS (*H. N.* 7,30, 31 (117)): Salve primus omnium parens patriae appellatae. VERGILIUS, *Geor.* 2,173: Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus. Cet.

Ceteroquin, sternuentes salvere jubebant, non valere neque habere. Ita Petronius (*Sat.* 98): «Giton ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet». Quae trita res est, et apud auctores invenitur quam maxime. Sed non praetermittendus est locus ille Plinii (*Hist. Nat.* 28,2,5 (23)): «Cur sternutamentis salutamus? quod etiam Tiberium Caesarem, tristissimum, ut constat, hominem, in vehiculo exegisse tradunt».

Etiam erat salutem dicere, nuntiare, mittere absenti, jubere saluum esse. CIC. (*ad Fam.* 16,9 extr.): «Medico de te scripsi diligentissime. Vale, salve». Item (*ad Att.* 6,2 extr.): Salvebis a meo Cicerone». Et alibi (*ad Att.* 4,14 extr.). «Dionysium velim salvere jubeas». Cujusmodi exempla fere innumerabilia sunt apud Tullium et generatim apud aureos latinitatis auctores.

Salutem ergo, id est praecipue sanitatem, invicem sibi optabant consalutantes Romani. Ea igitur ex parte consentit haec formula cum alia quadam, quae valedictionis propria est: «vale». Quod si non ambigimus, quin Plutarchus illam fabulam, quam in libro, quem scripsit de garrulitate (cap. 11), apud scriptorem Romanum invenerit, tamen eum Romanorum formulam salutandi voce χαῖρε, formam valedicendi voce ὑγίαινε expressisse videmus.

Haud ita verisimile est Graecos in usu earum formularum mutando secutos esse exemplum Romanorum, sed certum est Romanorum scriptores non numquam Graecorum formulas aperte imitatos fuisse.

Teneamus igitur et salutationis formulam «salve» et valedictionis «vale» inde esse profectas, quod homines invicem se salutantes sanitatem sive valetudinem sibi optabant. Quam salutationis sententiam, adeo non in oblivionem venisse, ut in respondendo quoque saepe respiceretur apparet ex compluribus locis poetarum comicorum: Plaut. *Curc.* 121: P. Salve. — L. Egone salva sim, quae siti sicca sum? *Asin.* 911: Arg. Mater salve. *Epid.* 548 s: Pe. Salva sis. — Ph. Salutem accipio mi et meis. — *Epid.* 558 s. Pe. Ego sum, salve. Ph. Salva sum, te quia esse salvom sentio. — *Asin.* 592 s. A. Vale. — Ph. Aliquanto amplius valerem si hic maneres.

Cur «salve» salutandi, «vale» valedicendi formula sit facta, vix quisquam dicere possit; sensim tantum et paulatim hunc usum inveteravisse inde concludere licet, quod ne Plauti quidem temporibus inauditum est valedicere per formulam «salve».

Accedunt et alia quaedam exempla, ubi «salve» et «vale» quasi ad unam valedictionem conjunguntur, velut *Curc.* 522: L. Summane numquid nuntiam me vis? — V. Vale et salve. — *Capt.* 744 s. Va-

le atque salve, etsi aliter ut dicam meres: De me ut meruisti, ita vale.

Primo a. Chr.n. saeculo formula «salve» jam obsoleta erat, praeterquam quod Cicero epistulas suas nonnumquam formula «vale atque salve» claudit (*Epist. ad fam.* XVI,4,4;9,4).

Age jam, videamus quae

III. FORMULAE SALUTANDI IN TITULIS SEPULCRALIBUS

usurpentur. Id fusius exponere opus non est, qua cotidiani sermonis formulae appellari non possunt. Tamen hoc loco id admonere licet, formulam «salve» in titulis sepulcralibus rarissime reperiri. Cur hoc fiat facile est dictu. Cum tituli plerumque posterioris aetatis sint, vox «salve» jam secundo a. Chr. n. saeculo paulatim ex usu evanuit, et —quod supra ostendimus— Ciceronis temporibus fere obsoleta fuit.

Porro, usus sepulcralis sententiam confirmant «vale» formulam valedictionis esse. At «ave et vale» simul habentur tanquam salutatio unica in sepulcris. Sunt enim tanquam verba postrema, quibus olim mortuos affabantur quasi dimittentes. Jam vero, quam late pateant in titulis seu inscriptionibus sepulcralibus, in quibus verba fiunt ad mortuum, adeo ut defuncti a vivis salutari videantur, videre est in sequentibus: CATULL. 101,10: «Accipe fraterno multum manantia fletu atque in perpetuum, frater, ave atque vale». AUSON. 185,7: «Ergo commemorata ave maestumque vocata pro genitrice vale». Insuper, in illo Martialis loco (9,8 ss.): «Non vis, Afer, avere, vale», *avere* accipiendum est eo sensu, quo vivos salutamus; *vale* autem eo, quo mortuos.

Verum, etiam vox «salve», etsi, inquam, raro, in titulis invenitur quasi mortuos salutans, sicque, ut ita loquar, dimittens eos: VERG. *Aen.* 11,97: «Salve, aeternum mihi, maxime Palla, Aeternumque vale». Adde STAT. *Silv.* 3,208. Ideo mortuis salve et vale dici, non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos numquam visuri. (Vide VARR. in SERV. VERG. *Aen.* 11,97).

Tum denique huc spectat festiva illa ambiguitas, quae est apud Suetonium, quae quidem refertur ad formulam «ave», quae discedenti dicere mos erat. Narrat profecto historicus romanus (*Claud.* 21), commissa a Claudio naumachia, cum naumacharii ante pugnam proclamassent: *Ave, Imperator; morituri te salutant*; isque respondisset: *Avete vos*; recusasse illos post hanc vocem dimicare, putantes se ab eo esse dimissos, venia pugnandi data; namque etiam discedenti *ave* dicere mos fuit, ut superius exposuimus. Sed Claudius ad morem salutandi mortuos respexerat; illisque pugnae ac morti proximis dixerat *avete vos* (cf. Forc. sub v. *ave*).

IV. CONCLUSIO.

Nunc vero, in legentium commodum, ex dictis non nulla colligere fas erit, tanquam rerum summulam, videlicet:

1. Formula salutationis «ave» originem ducere videtur a lingua palaestrae. Ad etymon quod attinet, esse omnino imperativum verbi *aveo* vel *haveo*. Postea vero e palaestra romana in vitam cotidianam commigravit et salutatio est facta. Praecipue salutatio fuit matutina, quamvis etiam *salve* mane dicere solitum erat.

2. «Salve» fuit creberrima salutationis formula apud Romanos. Idem notat ac *salutem jubere*. Potissimum hoc quidem modo sternerentes salutabantur. Generaliter hac formula salutem sive sanitatem invicem sibi optabant consalutantes Romani. Mane «ave» vel «salve», vespere «vale» dicere mos fuit.

3. In universum, «salve» et «ave» salutandi, «vale» valedicendi formula est. Accedunt tamen exempla non pauca ubi «salve» et «vale» quasi ad unam valedictionem conjunguntur et simul adhibentur. Praesertim apud Tullium in epistulis.

4. In titulis sepulcralibus «salve» raro quidem invenire licet, dum «vale et ave» simul habentur tanquam salutatio unica in sepulcris. Sunt enim tanquam verba postrema vel «utimum vale», quibus mortuos olim affabantur quasi dimittentes.

Quae cum ita sint, id unum mihi restat, ut vobis salutem imperiar dicamque ex animo: avete vos, lectores humanissimi, et iterum atque iterum salvete!

P. LEO M.^a SANSEGUNDO, O. S. B.

Montisserrati ad Barcinonem in Hispania.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

P. Caelestis OSB Josepho Mariae Mir, Patri perquam Reverendo Magistroque Doctissimo, S. P. D.

Reddita est mihi, mi Domine, epistula tua die 23 m. Dec. anni praeteriti benignissime data.

Statim (die 29. 12. 1965) verbis tuis Mariannae Holzer, conjugii Josephi Holzer viduatae, scripsi tuos doloris amicitiaeque conjunctioris sensus significaturus.

Interea jam complures materias collegi, quibus nixus memoriam Josephi Holzer celebrarem, nisi Tu, mi Domine, eandem rem jam suscepisti exsequendam. Tum Tibi libens cedam. Sed certiore me, quaeso, fac et P. Molinam, successorem tuum Barbastrensem. Si vero opus me manet, moderator Barbastrensis, quaeso, paullisper exspectet, quoad commentariolum confecero memorialem.

Ceterum summo studio ea legi, quae in paginis VITAE LATINAE (n. 25, p. 10 - 18) divulgasti, ubi de rebus tabaceis egisti. Quam commentationem Josephus Holzer summa delectatione legit, quamvis nonnulla ei parum probarentur. Sed ibi, p. 12, proponis: *volumen tabacinum, convolvulum tabacinum*.

Age nunc, magister mi, quanam syllaba acuitur? Dicitur *tabá-cum* an *tábăcum*: utrumque in lexicis jam legi. Et quid de adjectivo? Dicitur *'tabácinus'* an *'tabacínus'*? Noli in hac re meam dissensionem metuere, cum rerum tabacearum adhuc parum sim peritus.

Incoluem te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 11 m. Jan. a. 1966.

Josephus M.^a Mir C.M.F. Patri suo Rev. Caelesti OSB. sal. pl.

Quam plurimas tibi refero gratias quod doloris, amicitiae, desiderii significationes Mariannae, spectatissimae Josephi Holzer uxori, expromere voluisti.

Diligentiam tuam maxime laudo in materia illa colligenda qua laudes et merita desideratissimi Rectoris Saraludovicensis in linguam latinam exprimas. Quod si commentariolum tuum in *Palaestra Latina*

edendum prius cognoscerem, pauca in laudem carissimi amici addenda curarem.

Sententiam Josephi Holzer de novis propositis de tabaco verbis cognoscere aveo; nam ex ejus sententia haud pauca fuerant jam pridem meliore ratione novata vocabula.

Quod ad *tabaci* nomen spectat ex ipsius vocis origine —quam persciter et peracute Joannes Corominas in suo lexico tractat (*Dictionario crítico etimológico de la lengua castellana*, t. IV (Gredos), Madrid 1954, s.v.; cfr. PAL. LAT., 39 (1959) 81 in adn.) et ex vulgato accentu apud omnes omnium nationum linguas— *tabācum*, paenultima syllaba producta, acuendum est.

Adjectivum vero *tabacinus* —sicut et *tabaceus* et *tabacarius*— a SOCIETATE LATINA (7(1939)45) sumpsit —fortasse et alibi antea propositum est—, quod certo de sententia mea *tabacimus* acuendum est, ut alia quam plurima adjectiva ex florum, herbarum, arborum vocibus deducta —quamquam pauca, producta paenultima, efferuntur—, habes: *sandaracinus*, *amaracinus*, *duracinus*, *rosacinus*, *coccinus*, *fabaginus*, *oleaginus*, *faginus*, *siliginus*, *terebinthinus*, *hyacinthinus*, *amygdalinus*, *xylinus*, *balsaminus*, *cinnamoninus*, *raphaninus*, *gausapinus*, *gossypinus*, *cedrinus*, *carbasinus*, *cupressinus*, *narcissinus*, *byssinus*, *cucurbitinus*, *melitinus*, *arantinus* (*aurantinus*), *fraxinus*, *thyinus*... Ex quibus colligitur adjectivum *tabacinus*, ex planta *tabacum* ductum, acuendum esse *tabācinus*. Quid ego sentiam paucis explicavi, qui vero aliter, argumenta suae sententiae afferant.

Valetudinem tuam cura diligenter; teque Dominus supernis cumulet donis.

Roma, die 17 m. januarii, anno 1966.

P. Caelestis Eichenseer OSB, Josepho Mariae Mir, Patri perquam Reverendo, S. P. D.

Reddita est mihi, mi Domine, hodie epistula tua perjucunda die 17 m. Januarii benignissime data.

Respondit etiam interim Marianna Holzer, quae tibi pro significatione sensuum doloris participati plurimam refert gratiam.

Gavisus sum etiam, cum ex litteris Romam hodie allatis cognovissem te in conventu Paschali contionem habiturum, quam puto maximi momenti futuram.

Rescripsisti autem nominis 'tabāci' syllabam paenultimam (naturā) longam esse. Ilico illum locum benigne signatum inspexi, ubi de hac re jam aliquatenus egeras: PAL. LAT. 39 (1959) 81 in adn.

Ceterum in Germania septentrionali et in sermone Germanorum litteratorum hoc nomen non profertur nisi priore syllaba acuta, ut dicatur: *Tābak*. In dialectis vero Germaniae meridialis dicitur: *Ta-*

bák. Ob eam rem scriptores latini Germaniae septentrionalis pronuntiant 'tabācum'; cf.:

SLEUMER, Albert, *Deutsch-kirchenlateinisches Wörterbuch*³, Bonnae 1962, p. 161: *tabācum*.

MENGE-GÜTHLING, *Enzyklopädisches Wörterbuch der lateinischen und deutschen Sprache*⁴, pars II: *Deutsch-lateinisch*, Berlin-Schöneberg 1951, p. 576: *tabācum*.

GEORGES, Karl Ernst, *Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch*, vol. II, Leipzig (Lipsiae) 1845, pag. 1011: *tābācum*.

Tamen hac in re sententiam tuam majoris auctoritatis esse arbitror melioribusque argumentis comprobata. Quod autem ad adjectivum, quod est 'tabacinus' attinet, heri a Johanne Wieland, qui vir doctissimus unus ex scriptoribus *Thesauri linguae Latinae* est, epistulam accepi, qua mihi rem rogatus renuntiavit secundum grammaticorum exempla et praecepta enuntiandum esse 'tabacinus'. Cf.:

STOLZ-LEUMANN, *Lateinische Grammatik, Laut- und Formenlehre*⁵, München 1926, p. 221 sq.

Manu LEUMANN, *Gruppierung und Funktionen der Wortbildungssuffixe des Lateins*, in commentariis, quibus est index MVSEVM HELVETICVM 1 (1944) 145.

Ergo in hac re definienda inter nos bene consentimus. Utinam etiam tuam sententiam priorem nominis 'aeroplani' latine acuendi retinuisses. Hanc mutationem iterum iterumque vehementer doleo. Nam multum interest inter etymologiam diligenter recognitam, sed naturae linguae latinae non ita idoneam, et aptitudinem vocabuli ipsius latine proferendi. Quibus verbis dixerim vocabulum Francogallicum linguae latinae multo minus aptum esse quam nomen neograecum ejusdem rei significatae. Sed de hac re fortasse alias fusius. In praesenti tempus me deficit, cum non pauca negotia necessario expedienda mihi injuncta sint.

Denique quae in memoriam Josephi Holzeri scripturus sum, tibi, mi Domine, mittam, ut tua subjungas, simulatque rem perfecero.

Incolumem te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 22. m. Jan. a. 1966.

Josephus M.^a Mir, C.M.F., Patri suo rev. Caelesti, O.S.B., sal. et pac.

Bene scripsisti de Josepho Holzer, tibi que gratias ago quam plurimas quod et humanitatis et caritatis christianae officia in tam pium virum contulisti, et quod linguae latinae cultorum memoriam erga ejus praeclara merita excitasti: quibus perpetuo monumento aeternaque laude est dignus.

Assidua litterarum consuetudine cum eo obstrictus fui: quibus literis benignus, pius, doctrina excultus ejus animus luculenter manifestus fit.

Litterae nostrae, vita functo tanto viro, oculis et spiritu quodam modo oblanguescere mihi visae sunt magnoque adhuc planctu lugere. Fuit ille strenuus sane fortisque miles et in bello et in litterarum palaestra.

Nobis nostraeque rei latinae vel in difficillimis spinosisque rerum adjunctis actuosus socius et adjutor, fidelisque amicus adfuit: carus Deo et hominibus!

In praecipuis adnumerandus est scriptoribus qui summo conatu linguam latinam coluerunt, defenderunt, propagari voluerunt.

Ejus loquendi ratio semper lucida et perspicua apparet; conquistam contortamque illam puritatem et elegantiam —qua pauci admodum delectantur— ipse non sectatur, circumlocutiones vitat ab iisque —cum rerum notionumque claritati saepius officiant et gravem faciant cottidianum sermonem— magnopere abhorret.

Ipse tamen aliquando vulgatis formulis serviebat; ac summae virtuti et facultati, qua lingua germanica pollet verba componendi, nimium fortasse indulget cum verba novat aut inducit latina. Quam verborum fecunditatem ipse aliquando confessus est, ac pleniore adveniente aetate nonnulla respuit —ut quaedam curruum automobilium nomina, in quibus *diga*, ut datis ad me epistulis olim rescriptis et admonuit—.

Spero me quicquam tuis addere posse adnotationibus ut Holzerii scripta explicemus: in cujus memoriam fasciculum contexere in animo habere Moderatores PALAESTRAE me nuper monuerunt.

De *tabaco* autem haec habeto. *Tabaci* nomen ab arabico *tabbāq* seu *tubbāq* derivatur —a quo in linguam hispanicam et italicam deducta est vox *prius quam nostrae aetatis* «*tabacum*» et in America Hispani exploratores reperirent et in Europam inveherent—, nomenque hoc usu vulgatum, apud doctos saltem, —quo herbae medicinales somnumque afferentes apud Hispanos et Italos jam pridem significabantur— *tabaco americano* ipsi indiderunt. Ita viri in investigandis etymologiis periti, cfr. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua cast.*, Madrid (Gredos) 1954, t. 4, s. v.: cujus praecipua explicationis pars in PAL. LAT., 29 (1959) 81, memoratur; cfr. etiam *Dizionario Enciclopedico Italiano [Istituto della Enciclopedia Italiana]*, Roma 1960, t. 11, s. v., ubi eadem fere referuntur.

Ergo accentus primigenii nominis arabici [*tabbāq*], hispanici [*tabáco*], italici [*tabácco*] retinendus est. Neque justum afferi videtur argumentum ex verbis Sleumer, Menge-Güthling, Georges, cum praeclari illi viri aut rem penitus non perspexerint et investigarint, aut civium auribus nimium indulserint, aut alius ab alio prorsus pendeat.

Ad quam rem aptius enodandam et poëtae quicquam luminis infundere possunt; ex quibus Franciscus ULPIUS de *pulvere Nicotiano* —anno 1722— (cfr. *Alma Roma*, 28(1941)113 - (1942) 14) haec habet:

«*Tergite mucosas gens tábacōphilā sordes*».

Neque in adjectivo *tabacīnus* proferendo exstat difficultas.

De acuendo autem *aeroplano* nova exspecto argumenta, quae si probabiliora sint meis, in sententiam tuam descendere non recuso.

Ut bene facis —tuaque VOCE LATINA alte proclamas—, rem nostram, «linguamque regiam» perge defendere, excolere, amare. Ac nostri, quod benigne facis, memoriam tene.

Te sociosque exspectamus in Congressum Romanum.

Valetudinem tuam cura diligenter neque te nimio studiorum amore multisque occupationibus obrui patiaris.

Vale et salve.

Roma, die sexto decimo mensis februarii, a. 1966.

JOSEPHUS M. MIR, c.m.f.

P. Caelestis Eichenseer, O.S.B., Josepho Mariae Mir, Patri Reverentissimo Dominoque Doctissimo, S.P.D.

Reddita est mihi jam die 22 m. Februarii hujus anni epistula tua per jucunda, qua et de Josepho Holzzero egisti et de tabaci nomine recte acuendo.

Die autem festo Sancti Joseph multum de te, mi Domine, Deo enixe commendando recordatus sum: idem nomen mihi in baptismo impositum est!

Deinde die 23 m. Martii PALAESTRAE LATINAE fasciculum mensis Decembris accepi et hodie novum fasciculum mensis Martii, ubi typis descripta sunt, quae inter nos de nomine *aëroplani* copiose communicavimus, et ea, quae de initiis urbis Monaci scripseram. Equidem non mediocriter PALAESTRAE LATINAE veste nova gavisus sum et laudibus, quibus libellum meum, qui est de lacu Brigantino congelato, scientissime extulisti.

De cunctis his rebus animum gratissimum tibi significare volui, quamvis officiis pastoralibus aliisque negotiis plurimis districtus et distentus essem.

Multum etiam chartula tua cursuali, qua Colosseum exhibetur photographice pictum, gavisus verba tua legi invitationis et amicitiae verae.

Denique ad festa Paschalia dulcedinis deliciis velim perfundaris Domini victoriam resurrectionis denuo feliciter expertus.

Incoluem te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 30. m. Martii a. 1966.

Josepho Mariae Mir, Patri reverentissimo atque humanissimo. s.p.d

Jam jam novo lexico —English-Latin— operor quod nova vocabula continebit. Mea provincia est talia vocabula civitate Latina donare.

Cum ad «cipher» sive «zero» devenitur, hoc apud lexicon Cardinalis Bacci invenio: «signum mathematicum nihil per se significans sive signum deficientis numeri locum obtinens». Haec est definitio, non nomen neque quisquam problema mathematicum explicans tali congerie vocabulorum uti queat.

At vocabulum Arabicum unde ducitur «cipher», inane significat. Quare quin dicimus: «Signum (mathematicum) inane» vel etiam «Inane».

Quid tibi videtur? Certe mihi parum referre videtur quod nomen alicui rei indatur, modo homines intellegant quid significetur.

Paschalia Spiritus Sancti festa tibi tisque fratribus grata, felicia, fausta donis cumulata supernis decurrant.

Postridie Paschae

MDCCCCLXV

DR. GOODWIN B. BEACH
52 Orchard Road
West Hartford, Conn. U.S.A.
06117

Jos. M.^a Mir, C.M.F., Bonamico Actensi, doctissimo magistro, sal. pl.

Nunc tandem, exacto Congressu Romano de lingua latina et te Hartfordiam reverso, defertur ad me epistula quam diebus Paschalibus anni 1965 dedisti — sic tempora nostra praetereunt: quis annum et amplius elapsum esse credat?...

Illam autem vocem anglicam, de qua tu me interpellas, duo apud vos significare video, et *cifra* (*cipher*) et *zero*.

Quod si numerum (*cifra*) tantum modo latine exprimere volumus, *aeram* adhibeamus, quae apud antiquos id valuisse patet. Nam Cicero (*apud Non.* 193, 11) habet: «Soles... si *aera* singula probasti, summam... non probare»?; et Plautus (*Truc.*, 72): «*Aera* perscribantur usuraria», et Hieronymus (*Epist.*, 22, 24): «*Aera* numerantur»; et alia quae in *Thesouro Linguae Latinae* et apud ERNOUT-MEILLET invenies. *Aera* autem est ab *aes*, *aeris* —plurali numero—, quae deinde feminino genere et singulari numero est declinata.

Vocem autem *zero* quo modo superiorum aetatum scriptores in latinum verterint, investigari oportet. Quod tamen in praesentia facere nequeo. Mihi autem absonum non videtur nomen ipsum *zero* perspicuitatis gratia —et aliquando *nullum*— adhibere.

Zero recipiunt et proponunt Mariano (*Nuovo dizionario italiano-latino*, 17 ed., Milano 1963) et Badellino (*Dizionario italiano-latino*, Torino 1964) ut vocem technicam et indeclinabilem, ita etiam Menge-Güthling (*Deutsch-Lateinisch*, 7 Aufl., Berlin 1962, s. v. *Null*).

Quam vocem usurpavit Jos. Holzer, desideratissimus nobis magister et socius, (cfr. PAL. LAT., 24(1954) 135) cum de *pediludio* loqueretur: «Manipulus A primum locum tenet quinque portis comparatis ad *zero*, V punctis comparatis ad *nullum* (*el equipo A gana por cinco goles a cero*)». Atque idem in *Alma Roma* (cfr. fasc. VI ann. 25, m. julio, a. 1938, p. 122): «...50018 sic pronuntiabo... quinquaginta, zero, decima octava. De illo *zero* Forcellinus: *zeros i*, m. est genus gemmae similis iridi. Solus Plinius habet vocabulum et vocatur in dubium, aliis volentibus esse *psarós*, aliis *leros* esse volentibus. Menge-Güthling hoc tradunt: «Null — *zero*. n. indeclinabile nomen». Et suspicor pro indeclinabili usos esse et uti mathematicos. Et suspicor nomen cifrae illius exstitisse per errorem, sed non habemus aliud, quia cati Romani etiam catius Arabum numerarium systema ignorabant. Eo ergo in nova re liberiores manemus. Itaque fidenter ego tuum 0'0005 sic eloquor: zero zero zero quinque (quae sunt V decies millesimae)...».

Habes igitur quid alii —quibuscum consentio— de voce cogitent.

Fac plurimum valeas et novum lexicon anglicum quam primum in lucem edas. — Utinam in novum Congressum tecum convenire liceat.

Roma, die 9 m. maji, anno 1966.

PUBLIUS AELIUS HADRIANUS IMPERATOR

(117-138)

Trajanus, qui ingenio militari fines imperii longissime protulerat, Parthis collo Romanorum per diu insultantibus devictis et Mesopotamia Assyriaque regno subjectis, cum aegrotus Romam, ubi mori volebat, properaret, apoplexia affectus vitae maxime laboriosae cursum anno 117 in Cilicia Asiae clausit. Commodè autem Hadrianum nepotem Plotinae imperatricis hortatu brevi ante adoptarat. Successit imperatori summe bellicoso pacificus et aetatem tranquillam attulit. Editus in lucem anno 76 in Hispania et praestantissimis animi facultatibus instructus, cum Trajanus Roma aberat, senatui praeesse solebat, sed ob vocis raucitatem a nobilitate Romana ludibrio habitus. Trajanus fuit verus Romanus, actuosus, armis intentus, Hadrianus autem magis Musis deditus, Platonis sectator, in philosophia admodum versatus, arithmeticae, geometricae, astronomiae, musicae cultor, poetas circum se habebat, a versibus faciendis non alienus, pictor et architectus. Prorsus novum quid et maxime insolitum Romanis. Qui etiam magis stupebant, cum Mesopotamiam et Assyriam devictam et occupatam ultro omisisset. Proinde aliquot duces militares ductore Lucio Quinto caedem Hadriano in venatione versanti intulerunt; sed cum machinatio cassa fuisset, quattuor ex conjuratis sceleris convicti a senatu supplicio sunt affecti.

Imperator anno 118 ex Oriente Romam regressus rei publicae curam et imperii administrationem restauravit. Officiales omnes attentissime observabat, de omnibus, quae ubique acciderant, certior fiebat: «Populi rem esse, non suam» dictitans. Quod Plato olim optarat, id tandem Romani factum videbant: philosophum esse orbem terrarum imperatorem. Nam amplius arma nisi finibus ab hostibus defendendis non cudebantur. Praeterea Plato rem publicam conceperat per tres animi facultates gubernandam: intellectus, animi et cupiditatis: (nous, thymos, epithymia). Quam notionem Hadrianus suscepit. Penes philosophum gubernationem summam esse volebat; ipsum sese intellectum, qui leges conderet et corpus juris conficeret; ipsius solius esse restaurare exercitum; debere et collegio mercatorum rei publicae administrandae deinceps inservire. Quo autem modo rem tam arduam est aggressus? Ministros regis jam non, ut successores fecerant, e domesticis aut libertinis, sed ex ordine equestri deligebat. Sic autem inimicitias senatorum et nobilium, qui novam administratio-

nis rationem limis spectabant oculis, movit. Senatores, antea tantum Urbis septem colles videre soliti, in dies magis auctoritate privati, Hadriani imaginem depravando et distorquendo ulciscabantur.

Porro imperator vectigalia, ne quid subriperetur, alio exigebat modo. Utebatur enim «frumentariis», qui totum imperium circuirent et ipsum facerent certiores, utrum provinciarum praesides munere diligenter fungerentur an non. Quod, quamvis ipsis permolestum, communi tamen bono summo emolumento esse coepit. Mandavit quoque, ut omnes praefecti militares ex Italis eligerentur neque essent juniores. Quod omnino necessarium erat in exercitu ex omnibus imperii vasti gentibus coacto et conflato. Ita aerarium militare plus solito aggravari prohibuit. Quamquam tunc aetatis quinquaginta et ducenta militum millia in armis erant, tamen fiscus publicus habebat, unde non solum stipendia solveret, sed etiam rebus socialibus subveniret. Florebant ut nunquam ante provinciae et perampla vectigalia pendebant.

Hadrianus Romam primo ingressus «pecunias residuas» remisit tabellis publicis in foro sollemniter combustis. Erat summa maxima. Puerorum curam singularem gerebat. Mos enim fuit, ut cives amplissimi, antequam e vivis cedebant, magnam pecuniae vim imperatoribus legarent; sed Hadrianus eorum legata respuit. Coercebat rem gladiatoriam, defendebat servos ab herorum arbitrato, vetabat viros et feminas promiscue thermis uti. Solebat comiter cum cive simplici joculari, stando hospites excipiebat, quin aegrotos pauperes invisibat. Odio habebat gloriosos et faeneratores. Qui culpa carentes aere alieno gravabantur, eos ultro e suo sublevabat nec Christianos persequabatur nec quemquam laesae majestatis accusari ferebat.

Romae diu morari nolebat, cum eum taederet stulte cum senatoribus fabulari vel cum vulgo ludos venationesve spectare. Patebant enim late imperii fines. Ideo quoqueversus peregrinari coepit: a Tago flumine ad Tigrim, a Thamesi Britanniae ad Nilum. Aestum, frigus, pluvias, nebulas, desertorum arenam ardentem facile tolerabat capite aperto. Ab anno potissimum 121 in itinere erat. Galliam amoenam et maxime fertilem lustravit et legiones ad Rhenum flumen dispositas. Inde celebrem «limitem Hadrianum» ad Danubium usque duxit disciplinamque militarem acuit. Volebat enim pacem perpetuam, sed armis protectam. Quare legiones inertia emolliri non patiebatur. Armatus cum exercitu itinera longa facere, una cum gregariis pernam et caseum comedere et aquam aceto et ovis mixtam potare solebat. Invisit Britanniam atque ejusdem tuendae causa «vallum Hadrianum» posuit. Hispaniam cum perlustraret, ab aliquo stricto pugione petitus, jussit quidem maleficum comprehendi, sed, ubi eum mente captum rescit, medico dedit cum omnium admiratione. Nec multo post cum Parthis ad Euphratem flumen de servanda pace

egit. Sic sexcentas civitates cognovit earumque necessitates examinavit opemque praesentem tulit, vias publicas aedesque sacras collabantes restauravit, aquarum ductus et puteos publicos effodit, in omnes effusus, in se solum parcus, restitutor et servator ab omnibus merito appellatus.

Maxime autem Graecia delectabatur. Nam quod nobis religio Christiana esse solet, id Hadriano, qui verae fidei lumen non aspexerat, Graecarum litterarum, artium philosophiae cultus fuit. Quae propagare ei magnopere cordi erat. Athenis vicum novum condidit et Jovis templum septem fere saecula imperfectum relictum splendide perfecit. Ubicunque versabatur, simplicem et modestum se praebebat. Sentiebat enim rerum omnium vanitatem et caducitatem Deumque et aeterna desiderabat. Quare mysteriis Eleusinis, quibus cuique morum integritate praestanti beatitudo id est Eleusium, promittebatur, est initiatus.

Desiderabant namque plurimi saeculi secundi homines novam religionem, quae omnes consociaret et humana caelestibus jungeret. Revixerat doctrina Stoica, tamquam si animos ad veram fidem praepararet. Hadrianus, cum eam non nosset, se ad «Solem invictum», cujus cultus ex Oriente Romam venerat, convertit. Idcirco Aetnam montem Siciliae et Casium Arabiae conscendit, ut de vertice solis ortum videret. Omnium poetarum, artificum, virorum piorum quae-rebat amicitiam, maxime vero Epicteti, morum magistri juventutisque educatoris, nostrae religionis multum affinis.

Parum notum est Hadrianum universitatem Romae, Athenaeum, condidisse, viris doctis favisse, mercedem statuuisse, paulum eruditos de munere amovisse. Juris civilis haud rudis «edicta praetoria» rededit: «edictum perpetuum» vocatum, quod ejus auctoritas tuebatur et quod usque ad Justinianum imperatorem (527-565) vigeat. Praeterea Pantheon templum, splendidissimum, a Marco Agrippa anno 27 a.Chr.n. erectum, sed anno 110 fulmine tactum et concrematum intra 115-125 restauravit relicto nomine Agrippa postico affixo. Cum Damasci moram traheret, accidit, ut magnopere commoveretur. Mandarat enim, ut Hierosolyma a Tito destructa reaedificaretur et in monte, in quo vetustum Judaeorum templum steterat, Jovis excitaretur. Judaei, ubi cognovere, odio sacro flagrantes, totum Orientem sollicitarunt. Hadrianus, natura mollis, bellum ad interuersionem geri jussit, eo maxime adductus quo Judaei annis superioribus centena Graecorum millia crudelissime trucidassent. Ideo Julius Severus dux Palaestinam ingressus cepit Bar-Kochba, novum Hebraeorum Messiam, omnesque urbes ac vicos tantopere est demolitus, ut Judaei deinceps jam non insurrexerint.

Imperator absumpto morte Antinoi juvene, quocum familiarissime vivebat, melancholia laborare coepit. Agebat annum quinquage-

simum sextum, sed omnes eum senescentem videbant. Tamquamsi mortem praesentiret, anno 133 villam splendidissimam prope Tiburum urbem aedificandam curavit. Surgebat lente moles superba, obeliscis, templo, theatro, pinacothecis, statuis adornata. Aedes ipsa academiam Platonis simulabat. Curnam? De Platone enim imperator hauserat philosophiam, in campis Eleusinis spem collocaverat. De villa hodie nihil aliud restat nisi muri diruti, inter quos cupressi virent. Eodemque tempore mausoleum marmore tectum excitavit.

Quod mausoleum non more pyramidis sed circuli est constructum, quia philosophis circulus aeternitatis symbolum erat. Ipse imperator vita in finem vergente graviter aegrotabat nec tamen animum hilarem amittebat: «Animula, vagula, blandula, hospes comesque corporis, quae nunc abibis in loca pallilula, nec ut soles dabis jocos.» Morbo ingravescente Antonium Pium adoptavit eique mandavit, ut Marcum Aurelium nominaret successorem. Tunc viator perpetuus, Bajas petiit ultimum visurus mare ibique, postquam annos viginti unum regnavit, e vivis decessit.

N. MANGEOT, S. J.

44 Münster Sentmaring in Germania.

PER ORBEM

OMNIUM GENTIUM AC NATIONUM CONVENTUS LATINIS LITTERIS LINGUAÆQUE FOVENDIS

Iis qui convenire Romam in Conventum latinis litteris linguaeque fovendis superiore mense aprili habitum non potuerunt, legenda in primis commendamus commentaria P. J. Campos, Sch. P. (HELMANTICA, enero-abril, 1966, N. 52, p. 121-133) vel P. Caelestis Eichenseer, O. S. B., (VOX LATINA, III, MDCCCCLXVI, p. 2-12) vel praesertim P. J. M. Mirii, C. M. F. (CONFER, Vol. VIII, N. 17, abril-junio, 1966, p. 459-470).

Vetere mea cum his clmis. viris consuetudine fretus, eorum magni momenti commentaria quasi spoliare ausim ad notitias commendandas iis in primis lectoribus qui scire studeant qua ratione curaque processerit Conventus superiore vere Romae concelebratus.

Nostra nunc vero interest non tam consessus singulos resque in illis pertractatas describere quam colligere ea quae adjuncta Conventui vel curiosa vel quoquo modo notabiliora nobis lectoribusque videantur.

CONVENTUS RELIGIOSA CURA PROVIDETUR

Institutum Studiorum Romanorum omnia quae ad Congressum instruendum spectabant jam diu rite ante curaverat atque providebat; nihil enim in rebus subsidiisque parandis praeteriit moderatores, qui crebris praeviisque e sede Conventus litteris de universa re ita socios admonitos habebant. Qui socii, ubi primum in Urbem pervenerant, theca ex materia artificiali facta qua libelli chartaeque conventui Romano utiles necessariaeque continebantur et artificioso quodam nomismate aereo ad vestem affigendo, pretio pacto, donabantur.

EX UNIVERSO TERRARUM ORBE IN URBEM CONVENITUR

Gaudendum sane quod tot studiosi latinitatis viri (quadringenti circiter ex triginta nationibus europaeis et extraeuropaeis Romam convenerunt) ex tam dissitis tamque diversis populis huic Conventui celebrando Romae adfuerint, ut ex Africa, Japonia, Insulis Philippinis, Hispania, Anglia, Italia, Francogallia, Jugoslavia, Suetia, Lusitania, Statibus Americae Foederatis, Canada, Columbia, Russia, ceterisque. Haec civitatis diversitas non obscurum videtur testimonium linguam nunc latinam institutionemque classicam in quamplurimis nationibus populisque vigere magnaue hucusque aestimatione gaudere.

MEMORANDI ILLI CONSESSUS

Consessus tempore matutino et postmeridiano habebantur in Aula Magna Facultatis Litterarum Universitatis Romanae, si ultimum excipere velis diem quo qui Congressui aderant in Institutum Altioris Latinitatis convenerunt. Consessus, si verum nobis dicendum, pluribus horis materiisque onusti videbantur quam ut facultas esset quaestiones penitus et aggrediendi atque satis investigandi et in certas definitasque conclusiones perducendi.

Cum P. Caelestis Eichenseer singulos consessus supra in paginis 100-103 hujusdem fasciculi descripserit, ignoscere mihi velim lectores quod, brevitatis rei que jam notae causa, de illis agere praetermittam, etsi res quaedam haud parvi momenti —ut status hodiernus seu condicio litterarum latinarum in nationibus et novae voces latina civitate donandae— vehementer nos invitent ut in aliam occasionem opportune differamus easque majore temporis spatio majoreque cura retractemus.

LATINE LOQUI OMNES ORATORES DECUISSET

Plerique professores exteri, in quibus numerari oportet cimos viros C. Kumaniecki, I. M. Borvsky, C. Büchner, W. Stuart Maguinness, I. H. Waszink aliosque, castigatissimo latine dicendi genere orationes habuerunt. Sed contra accidit ut non nulli professores itali vernacula lingua loquerentur, cum superioribus Conventibus (cfr. 2ème. Congrès International pour le latin vivant, Lyon 1959, p. 145) acerrime vehementerque invectum esset in eos qui francogallico sermone pro latino dicere auderent.

Necesse autem est confiteri in postremis consessibus linguam latinam crebriore usu adhibitam esse et non paucos oratores italos magnam hujus linguae cognitionem magnamque peritiam sollertiamque ostendisse. Quod laudi illis est. Sed id minime fuit laudandum quod non nulli professores, orationibus suis lectis, consessibus non adessent in quibus quaestiones ab ipsis allatae, in cognitionem et controversiam adstantium essent deducendae.

CONVENTUS SOCII NON NULLA LOCA AEDESQUE INVISUNT

Jucundissimae fuit memoriae iter seu gestatio in oppidum Praeneste, ubi spatiari et contemplari miram Fortunae Primigeniae aedem sociis visitantibus licuit.

Omni quoque recordatione digna percomis sociorum receptio in Institutum Altioris Latinitatis, humanissima verba salutationis Rectoris Magnifici, Rdmi. P. A. Stickler, ultimi consessus in eodem Instituto Latinitatis habiti, convivium illud vere fraternum fraternitate Patrum Salesianorum magis conditum, ubi —ita facetissime Mirius noster meminit— hospes Conventusque socius praeter severitatem

gravitatemque legis romanae ac syntaxeos latinae lautissimas quōque dapes aestimare scivit, ut Cicero amici Paeti cenis magnopere delectabatur.

In Castro Sancti Angeli («Sant'Angelo») Administer Institutionis Publicae, clmus. vir L. Gui invisentes adhortatus est adjutricem operam promittens Regiminis Italici viriumque animorumque conjunctionem in provehenda lingua latina et cultu ad humanam institutionem.

Penitus in omnium animis inhaeserunt S. Pontificis Pauli VI verba humanitatis gravitatisque romanae plena quibus litteras cultumque latinum summis extulit laudibus, quamplurimorum sociorum Conventus merita agnoscens improbumque laborem in lingua latina provehenda nostra praesertim aetate huic generi studiorum parum secunda. Delectentur ergo lectores textum adlocutionis pontificiae legendo quam in perpetuam quasi memoriam in hoc Palaestrae Latinae fasciculo typis mandatam vulgamus.

CONVENTUS ROMANI VOTA ATQUE IN POSTERUM PROPOSITA

Clmo. viro Petro Romanelli Conventus Romani Praeside, Prof. Paccitti has conclusiones seu vota disputanda omnibusque probanda proposuit:

1. ut sedes permanens Conventuum linguae latinae in Instituto Studiorum Romanorum constitueretur;
2. ut superiorum Congressuum proposita atque consilia vi perseverent religioseque ab omnibus observentur;
3. ut omnia quae sive legenda sive disputanda adstantibus in aliis conventibus proponantur, lingua dicantur latina, praeter in primo ineundo Congressui consessu, eorum praesertim gratia qui ab eodem conventu alieni ibi adesse tenentur;
4. ut proximus Conventus, quantum fieri potest, in Germania celebretur, quin tamen locus jam inde certo constituatur.

Non nulli socii forsitan desiderassent quaedam consilia et proposita probari in hoc Congressu, quae ipsi magni ducerent momenti ad latinitatem provehendam: constitutionem puta societatis cujus auspiciis, auxiliis, auctoritate lexicum hodiernum vocum latinarum stabilendarum constitueretur; propagationes quoque radiophonicas latino sermone ab urbe Roma universo terrarum orbi diffundendas; commentariorum seu foliorum periodicorum latinam editionem...

Quae fortasse in votis erant et in votis hucusque perseverant. Proximum Congressum in Germania habendum exspectemus... —Candida spes miseris tandem mortalibus esto!— novique progressus in latinitatis dictione certo fiant.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.
Palaestrae Latinae Moderator
Alabonae ad Caesaraugustam in Hispania

BIBLIOGRAPHIA

ARICI, A. — *Terenzio: Commedia*, vol. I, collana *Poeti di Roma*, pp. 452, Lib. Ital. 2.500.

BARALDI, J.. — *Curzio Rufo: Storia di Alessandro Magno*, vol. I, Collana *Prosatori di Roma*, pp. 380, L. 2.500 ed. Zanichelli, Bologna, 1965.

Duo typis officinae librariae Zanichellianae nuper edita sunt volumina de quibus brevissime dem sententiam. Alterum historias praebet Alexandri Magni a Curtio Rufo conscriptas.

Complures de hoc duce scripserunt, quorum tamen opera ex toto deperdita aut in fragmentis tantum legimus, opus si excipias Q. Curtii Rufi, cui titulus: *Historiarum Alexandri Magni Macedoniae libri X*.

Curtii scribendi genus nobile est atque hyperbole, translatione, ellipsi varium. Ejus tamen narrata propiora fabulis esse quam historiae videntur.

Hanc *Historiarum Alexandri Magni* editionem egregie curavit Jos. Baraldi, qui codices gravissimos consideravit.

Gaudemus de primo hoc volumine quod alterum mox sequetur.

Eadem Zanichelliana domus prius in lucem Terentii volumen dedit, tres complectens comoedias, quarum index *Andria*, *Heccyra*, *Heautontimorumenos*. Mox alterum edetur.

Hae sunt praesentis editionis notae: peramplum auctor praemisit prooemium, annotatiunculas adjecit, linguam latinam in Italianam transtulit. Quae sermonis

translatio, eleganter et ad verbum simul expressa est, sicque linguam Terentii in aliam nostri temporis vertit; et ejus praecipue mentem poëticumque dicendi genus penitus apprehendit fideliterque interpretatus est.

Sive ergo auctrici sive librariae domui debitas gratulationes habemus.

I. JIMENEZ CATALÁN, C. M. F.

EVEREST. — *Diccionario de Lengua Española*, 2.^a edición.

ROMÁN NIETO, J. B. — *Dibujo*, 1 curso, 2.^a ed. Plan 1957.

QUINTANILLA, E. — *Lengua Española*, 1 curso, 4.^a ed.

SANTOS DE CARRERA, O. F. M. CAP. — *El Mesías Prometido*, 1 curso, 2.^a ed. Ed. Everest, León.

Inter varia hispanica lexica, quae a domo editrice "Everest" edita sunt, illud lectoribus nuntiamus quod, "Cuspide" nomine signatum, ad nos pervenit. Primo brevis orthographiae hispanicae explicatio praeponitur cui novae etiam prosodiae atque orthographiae regulae, ab hispanicae linguae academia propositae, adduntur.

Postea longus index verborum subsequitur, accurate redactus atque aliquibus optimis fabulis ornatus; in quo indice unumquodque verbum breviter sed clare explicatur. Ex his omnibus lexicon "Cuspide" optimum judicamus.

En aliqua etiam opera a domo Everest in vulgus edita atque ad alumnos, qui in bachalaureati studia incumbunt, destinata.

a) *Delineationis primus cursus* qui 24 chartis constat, cum diversis picturis in unaquaque ab alumnis exprimendis. Optimae quidem chartae optimaeque imagines propositae.

b) *Linguae hispanicae primus cursus* ab E. Quintanilla Sainz exaratus. Haec tota hujus libri ratio qui 44 lectiones complectitur. Unaquaque lectio in has fere partes dividitur: textus cujusdam clari auctoris —ut Azorín, Miró, Valera, Baroja, Machado, cet.— initium lectionis facit. Postea regulae grammaticales ad lectiones spectantes pertractantur. Per lectiones etiam regulae prosodiae atque orthographiae distribuuntur. Et tandem exercitationes diversae, vocabula ediscenda, cet. afferuntur, ex quibus omnibus hic liber vere nobis probatur.

c) *Religionis cursum primum* P. A Sanctis Carrea praeparavit. In eo Sacram Historiam auctor explicat atque Liturgiae nonnullas lectiones, ut in programmae officiali decretum est, exponit.

KIRK, G. S. — *The language and Background of Homer*. Ed. W. Heffer & Sons LTD, Cambridge, 1964.

In hoc volumine G. S. Kirk summam facit tredecim studiorum in variis libris et commentariis antea vulgatorum quorum Dods, Bowra, Parry, Gray, Lord, Risch, Chadwick, Shipp, Dow, Finley et ipse Kirk auctores sunt. In hoc ergo volumine auctores de ipso Homero, de aetatis heroicae vi, de lingua homerica atque epithetis, de Homeri sermone cum mycenaeo congruentia novissimas sententias afferunt. Stu-

diosi antiquitatis viri valde gaudebunt ea quae his postremis annis de Homero dicta sint hoc uno volumine colligata inveniri.

AUSTIN, R. G. — *Aeneidos, liber secundus*, 311 pp., Ed. University Press, Oxford, 25s.

Hujus voluminis textus, Hirtzel editionem (Oxford 1900) sequitur paucis exceptis locis in quibus auctor mutationem facit. Praefatio quidem brevis sed clara est in qua quae fuerit Vergilii vis propria in narrando auctor demonstrat. Commentarium, quod totum fere librum occupat, inter optima quidem Vergilii commentaria ponendum est. In eo enim omnia ante dicta atque scripta acri judicio perpenduntur atque recognoscuntur. Liber tandem quibusdam *addendis* verbis et duobus appendicibus cum poematibus absolvit quos indices nominum, verborum et rerum sequuntur. Quibus dictis unum restat ut M. Austin vehementer gratulemur, aliaquae hac eadem ratione composita opera in posterum desideremus.

PEARSON LIONEL. — *Plutarch's Moralia*, Ed. William Heinemann LTD, Cambridge, 1965.

SANFORD E. M. — *Augustine city of God*, vol. V. Ed. William Heinemann LTD, Cambridge, 1965.

Undecimum Plutarchi *Moralium* volumen, ab "Loeb Classical Library" in vulgus editum, duas disputationes complectitur, illam quae *De Herodoti malignitate* inscribitur a M. L. Pearson in anglicum sermonem conversam et *Quaestiones Naturales* quas H. Sandbach interpretatus est. In fine hujus libri N. O'Neil in-

dicem rerum et nominum apposit.

Divi Augustini *De civitate Dei* libri septem voluminibus in *Loeb Classical Library* persolvuntur. Hoc V volumen est quo libri XVI-XVIII, 35 continentur. Postquam Eva M. Sanford e vita decessit M. Green opus inceptum executus est. Haec *Loeb Classical Library* volumina optime exarata atque edita invenimus quare vehementer lectoribus commendamus.

CODOÑER, C. — *El "De viris illustribus" de Isidoro de Sevilla*, Estudio y edición crítica, 168 pp. in 8.º, Madrid, Consejo super. de invest. científ., 1964, 150 ptas.

Divus Isidorus Hispalensis inter VI et VII saeculum incidit, qui, qua maxima erat eruditione praeditus, multa opera redegit ut *De viris illustribus* librum in quo Divi Hieronymi et Gennadii opuscula complere intendit. C. Codoñer multa in Divi Isidori opere pervestigat ut tempora, duplicem compositionem, fontes, codices, editiones, cet. In fine tandem libri editionis criticum textum atque indicem verborum invenies.

CAVENAILE, R. — *Méthode de Grec*, Première année, 192 pp. in-8.º, 120 fr.

HOMÈRE. — *Iliade* (extraits), comment. de F. Van Ommeslaeghe, Liège, Dessain, 1965.

Haec *Linguae graecae Methodus* magnam auctoris linguisticae scientiam demonstrat atque quo ipse studio quamdam quasi renovationem in tradenda lingua graeca quaerat. Methodus quam auctor adhibet vere inductiva est, id est, ex ipsis textibus grammaticae regulas deducit. Quae qui-

dem methodus animum alumni semper intentum exposcit. Quae passim inveniuntur auctorum lectiones graecum cultum atque humanitatem redolent et hoc sibi classicarum linguarum studium proponit. In fine libri aliae inveniuntur auctorum lectiones quae alumni curae esse poterunt.

Iliacum carmen animos legentium sibi semper ipsum allexit. Haec autem nova editio quam F. Van Ommeslaeghe excerpit vividior nobis reddit Homeri lectionem. Explicantur verba difficiliora, optimae proponuntur picturae, commentarii atque quaestiones quae alumnos studiosius animos in rem defigere efficiunt. Nihil tandem auctorem praeterit quod Homeri lectionem vividior atque utilior alumni facere possit.

POCOCK, L. G. — *Odysseam Essays*, 132 pp., 27s. 6d. Ed. Basil Blackwell, Oxford, 1965.

Homeri rerum operumque studiosissimus M. Pocock ut regionem cognosceret atque ea quae Drepanis sunt vicina loca eadem esse quae in Odyssea celebrantur autumans, in Siciliam venit. Quae in Sicilia commoratio adeo ei persuasit ut duo alia opera scriberet: *The Sicilian Origin of the Odyssey* (1957) et *Reality and Allegory in the Odyssey* (1959). Sed multa alia opera de hac re auctor scripsit quae in hunc librum redacta invenies. Ut Pocock existimat Homerus post Hesiodum fuit cujus multa loca in rem suam convertit; duo tamen poetae apud occidentem Mediterraneum vixerint. Multa Homeri et nomina et loca — ita etiam auctor — cum nostris nominibus et locis vere consentiunt.

MAREL, H. - DERAEDT, P. — *Tacite, La vie d'agricola*, 128 pp.

I. E. MAZOU, R. - Y. — *César, Bellum Gallicum*, 1 tome, 128 pp. Ed. Les classiques latins Bordas, Paris.

Nova *Collectio Classicorum Latinorum Bordas* hoc scilicet intendit ut alumni lexico non adjuvante textus latinos legere possint. Ideo textus vocabulario, commentario grammaticali, historico et geographico ornatur. In primo Caesaris libello de ipso Caesare ejusque opere, de Gallia disputatur; in alterius vero libelli praefatione de Taciti vita et operibus, de *Agricola* praesertim.

De propria Taciti grammatica auctor etiam agit.

SIDNEY ALLEN, W. — *Vox Latina*, 112 pp. Ed. University Press, Cambridge, 1965.

Ut esset absurdum unius linguae versiculos alterius sono exprimere, ita a communi sensu abhorret latinum sermonem non ut Romani proferre. Quare quae fuerint prolationis regulae apud Romanos aureis temporibus W. Sidney Allen inquirat. Id ergo ad investigandum principia a grammaticis latinis aliisque antiquis auctoribus vulgata considerat, litterarum mutationes in verbis proferendis, epigraphicas inscriptiones, linguas romanicas a latina derivatas. His fretus fundamentis totam de latino sermone enuntiando doctrinam ipse deducit. De accentu intensum primo fuisse affirmat, sed valde mutatum ad classicorum tempora advenisse. In appendice tandem libri aliqua antiquorum scriptorum loca invenies ad latini sermonis prolationem spectantia atque brevissima hujus prolationis apud Britannos historia.

CAMPS, W. A. — *Propertius Elegies Book IV*, 167 pp. Ed. University Press, Cambridge, 1965.

Post mortuam Cynthiam Propertius elegiarum quartum librum scripsit in quo de origine Romae, de rebus fictis Romanorum atque de antiquis viris praesertim agit. M. Camps qui jam anno 1961 I librum cum commentario ediderat, nunc etiam IV librum in vulgus edit. Textus quidem non raro ab Oxoniensi editione differt quod in principio libri notatur. Commentaria quae textui apponuntur plus quam centum paginas occupant quidque Propertius in scribendo senserit nobis declarant.

Gow, A. S. F. — *Machaon, the Fragments*, 161 pp. Ed. University Press, Cambridge, 1965.

Machaon auctor graecus comoediarum est, Alexandriae, medio III saeculo ante C. n., natus; cujus aliqua tantum fragmenta ab Athenaeo in *Deignosophistis* asservata exstant. Horum fragmentorum praecipuum 462 versus fabellarum complectitur quas $\chi\sigma\epsilon\iota\alpha$ ipse Machaon appellabat. Haec quidem fabulae vitam atque modum dicendi ejus temporis nobis demonstrant. A. S. F. Gow textum graecum cum optima praefatione optimisque commentariis studiosis viris exponit.

SHACKLETON, D. R. — *Cicero's letters to Atticus*, volume I et II, 422 pp., et 248 pp. Ed. University Press, Cambridge, 1965. 50 et 40 s.

Magnum quidem opus M. Shackleton arripuit editionem criticam ut pararet, anglicam interpretationem atque commentaria quarum Cicero ad Atticum scripsit litterarum. Primum volumen longam atque optimam praefationem centum fere paginarum continet,

in qua quae inter Ciceronem et Atticum consuetudo, quae ipsius Ciceronis litterarum fortuna et codicum traditio fuerit, explicat auctor.

A primis annis Atticus condiscipulus et amicus Ciceronis fuit qui —ut fama fert— Romani oratoris epistulas cum juvene M. Cicerone et Tirone in vulgus edidit. Sed noster auctor non has in lucem editas ante Neronem imperatorem demonstrat. In litterarum textu disponendo temporum ordinem secutus est. I et II libris litterae ab anno 68 ad 59 a.C. vulgatae continentur, III vero et IV libris litterae ab anno 58 ad 54. In commentariis appositis res et tempora litterarum explicantur, locutiones, ea quae cum aliis litteris communia sunt. In fine tandem uniuscuiusque voluminis indices nominum, verborum et rerum iique utilissimi inveniuntur. Vere maximae ab omnibus clasicae philologiae studiosis viris M. Shackleton ex hac Ciceronis litterarum magnifica editione laudes sunt tribuendae.

RITCHIE, W. — *The Authenticity of the Rhesus of Euripides*, 384 pp. Ed. University Press, Cambridge, 1964.

Rhesus opus vere Euripidis esse optime in hoc magnifico libro auctor demonstrat. Et *Rhesus* quidem iam inde a primis temporibus in dubium vocatus est. Ritchie aliqua Aristophanis loca, Dionysii Periegetae, Stobaei, Marii Victorini, Eustathii et Accii *Nyctegressiae* attentissime considerat, ex quibus efficitur ut praeter illud τὸ τοῦ δράματος ἐνιστῆναι νόσον ὑπενόησαν ὡς οὐκ ὄν Euripίδου. nullo aliud posee contra Rhesi auctoritatem afferri argumentum. Ad ipsum opus ejusque personas auctor venit quod cum *Dolonia* comparat, neque mythologia eum praeterit. Ars dramatica, vocabu-

la, syntaxis, modus dicendi etiam inspectantur. Sed in primis illud capitulum considerandum in quo Ritchie pretiosissimum de Rhesi arte metrica studium nobis praebet. Ex his omnibus facile deduci videtur Euripidem Rhesi tragoediae auctorem verissime fuisse.

KASSEL, R. — *Aristotelis, De arte poetica liber*, 80 pp. Ed. Clarendon Press, Oxford, 15s.

De editione critica agitur quae illi a Bywater anno 1911 paratae succedit. Latinas interpretationes et arabicas atque illum liberum codicem florentinum auctor adhibuit, criticum textum dilatavit, textum recognovit. Cum *Parisino* codice (saec. X-XI) cujus aliqua praetermittit loca *Riccardianum* (saec. XIV) diu ignoratum R. Kassel respicit; isdemque *Indicem Graecum* Bywater huic novae editioni aptavit *Locorumque Indicem* adiecit.

JUVENAL. — *Saturae, III, IV, V*, edidit R. MARACHE, coll. Erasme, 141 pp. P. U. F., Paris, 1965, 9 F.

III, IV et V inter optimas quidem Juvenalis Saturas numerantur. III et V de cliente honesto agunt cui jam Romae locus non est. IV autem adversus Crispinum scribitur, Domitiani scurram et adversus ipsum Domitianum. Quarum saturarum M. R. Marache optimam editionem cum commentario paravit. In praefatione multa de Juvenalis vita explicat, de vita militari praesertim, de exilio in Aegypto, de poetae facultatibus, de ingenio, cet. In commentario vero quid unaquaeque significet satura, quas ad res sese referant, quae lingua et modus dicendi multaque alia quibus Juvenalis abundat auctor exponit.

RAMBAUD, M. — *César, De bello gallico, livres II et III*, coll. Erasme. 207 pp. Ed. P.U.F., Paris, 11 F.

M. Rambaud jam antea editionem cum commentario Caesaris libri *De bello civili* in *Collectione Erasme* ediderat. Nunc vero quae Caesar bella annis 57 et 56 in Gallia peregit ipseque scripsit in hoc altero libro vulganda curat. In hujus voluminis praefatione omnia quae de libris operis *De Bello Gallico II et III* inquiri possunt lector inveniet. Auctor enim opera multa apud nos vulgata indicat quibus Caesaris bella magis magisque nota fieri poterunt.

PIMIENTA, G. — *Evidences*, 158 pp. Ed. A. G. Nizet, Paris, 1965.

Parvum volumen quod lectoribus nuntiamus omnibus Artis studiosis viris utilissimum erit. Omnes hujus libri partes claritate, subtilitate atque quadam quasi alacritate abundant; auctor enim magnam humanitatem amplissimamque artium ac litterarum cognitionem in eo demonstrat. Mirum praesertim quo modo G. Pimienta paucissimis lineis multorum artificum opera et mores sedulo expressit.

KAJANTO, IRO. — *The Latin cognomina*, Helsinki, 1965, 419 pp. Ed. "Commentationes Humanarum Litterarum", Helsingfors, 36,2.

In hoc volumine clarus Prof. Kajanto quae posset cognomina latina excerpta unde oriuntur cognoscere sibi proponit. Quorum quidem cognominum si centum acceperis, triginta novem fere ex nominibus propriis dictis, ex verbis geographicis, ex nominibus deorum ac festorum derivata invenies. Sed difficile est quae no-

mina sint latina quae vero externa omnino dignoscere; multa enim gentilicia nomina Romanorum ab etrusca origine procedunt, quae quidem difficultates etiam in cognominibus latent quorum multa a praenominibus derivantur neque in documentis romanis memorantur. Hac de causa Prof. Kajanto maxima in hac re prudentia utitur, nam —ut ipse animadvertit— multorum cognominum interpretationes obscurae sunt. Tota libri ratio in diversas apparet divisa partes, ut cognomina in documentis vel inscriptionibus tradita, cognomina a senatoribus, a libertis, a liberis, a servis derivata et cognomina quae inde a temporibus Christianorum tantum vitam habent. Totum hoc pretiosissimum clarissimi viri Kajanto opus amplissimo nominum indice persolvitur.

WALTHARIUS, F. — *Ovidi Nasonis, Remedia amoris medicamina faciei*, 105 pp. Ed. Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum, Torino, 1965, L. 2.450.

Duo diversa Ovidii opera in unum volumen redacta domus editrix Paravia lectoribus praebet: duos libros *Remediorum amorum* qui 814 versibus continentur et *Medicaminum faciei* ex quo libro 100 tantum versus exstant.

Libro *Remediorum* F. W. Lenz longam praefationem praemittit in qua *stemma codicum* praesertim considerandum, ita enim post multas curas ipse Lenz illud censuit constituendum. Etiam alteri operi Lenz praefationem praemittit, sed, ut par est, brevior. In ea de operis titulo disputat quem incertum esse aliqui studiosi viri censuere. In pagina 80 quibus temporibus haec duo Ovidii opera scripta sint enodare vult auctor. Parvus index nominum et rerum volumen concludit. Longum tan-

dem atque opulentissimum apparatus criticum animadvertas velim, lector, qui quidem optime de litteris clarissimum virum F. W. Lenz meritum esse demonstrat.

TESTARD, M. — *Cicéron, Les devoirs, livre I*, 205 pp. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1965.

Ciceronis primum librum *De officiis*, a claro Prof. M. Testard paratum atque gallice conversum, ante hos aliquos menses in nostris Commentariis lectoribus nuntiandum accepimus. Et Cicero quidem in hoc primo libro de his fere rebus agit: de veri cognitione, de hominum societate atque vitae communitate quarum partes iustitia et beneficentia sunt, de animi magnitudine, de his quae hominem decent, cet. En aliqua huic *officiorum* editioni propria. Orthographiam non variare et in textu et in apparatu critico auctor curavit iisdemque litteris graecis usus est in his verbis quae Cicero a graeco sermone desumpsit litteris tamen latinis ad codicem redacta sunt. Aliquando notula *sl* emendatio *supra lineam* notatur, notula vero *mg* emendatio ad marginem. Gallica tandem interpretatio Ciceronis textui optime respondet quin etiam Ciceronianis numeris saepe numero adstringitur.

TACITO, C. — *Il libro quarto delle storie*, introd. e com. di Vittorio D'Agostino, 2.^a ed., 204 pp. Ed. "Il tripode", Napoli, 1965, L. 880.

Prima editio quam V. D'Agostino paravit libri IV Taciti *Historiarum* Neapoli anno 1935 exiit. Sed jam inde ab illa prima editione multa de Tacito ejusque arte studia in lucem aparuerunt. Quare V. D'Agostino novan editionem parare coactus est. Tex-

tum allatum auctor accuratissime recognovit isque Koestermann *teubnerianae* editioni praesertim respondet. Quibus in locis ab illa auctor dissentit semper in nota indicatur. Commentarium copiosum atque optimum est multisque novis et vocibus et rebus a Pauly-Wissowa-Kroll lexico praesertim desumptis ditatur. In primis libri paginis auctor aliquas de Tacito ejusque scriptis praemitit notitias. Deinde textus cum commentario venit, et tandem brevi nominum propriorum indice liber absolvitur.

KLEINLOGEL, A. — *Geschichte des Thukydidestextes im Mittelalter*, XVI, 186 pp. Ed. De Gruyter, Berlin, 1965, 42 M.

Thucydidis textus codices qui saeculum inter IX et XIV incidunt secum auctor versavit, qui fuerit status ante archetypum quique inter codices consensus etiam intuitus est. Cujusdam textus historia —ut A. Kleinlogel videtur— unius textus historia non est; e contra omnia quae textum circumstant elementa perpendi debent; tunc demum, his bene consideratis, quantum codicum inter se contagiones momenti ad textum mutandum habuerint, respici poterit. Et hunc sibi laborem auctor assumpsit. Thucydidis textum ex his lustrare intendit rebus quae ipsum quoque modo urgere potuerunt. *Stemma* quidem Thucydidis codicum valde mutatum invenitur. Sic ergo Thucydidis textus optime ab A. Kleinlogel ut nuquam antea statuitur.

MÜHMELT, M. — *Griechische Grammatik in der Vergilerklärung*, coll. Zetemata, Heft 37, VI-168 pp. Ed. Beck, München, 1965, 25 M.

Magnae profecto laetitiae Romanis erat totum Graecorum cul-

tum et artem ad poetas et scriptores suos devenisse. Nihil igitur mirum quod Vergilius ejusdemque aequales poetae multa a Graecorum lingua auctoribusque graecis desumpserint. Minus vero intellegi solet Vergilii etiam scholiastas multa a graecis Homeri scholiastis, Aristophanis aliorumque desumpsisse; ut Servius Homeri scholion fere ad verbum aliquando interpretatus est. Quod primum clarus Wilamowitz animadvertit nunc M. Mühlert hoc suo opere manifestare intendit. Quibus praesertim in rebus quibusque a graecis scholiastis latini scholiastae suam materiam mutantur accuratissime ab auctore notatur.

J. ASPA, C. M. F.

LASSO DE LA VEGA, JOSÉ S. — *Héroe Griego y Santo Cristiano*. Universidad de La Laguna. Secretariado de Publicaciones. Aula de Humanidades, 1. 1962. 19 × 24. pág. 88.

Hic liber magnum est argumentum studia classica optimum esse fundamentum ad studia philosophica et theologica penitus aggredienda. Auctor enim, methodo scientifica et philologica procedens, certas eruit conclusiones quae bonarum litterarum excedunt, Theologiam attingunt. Magna enodatur quaestio relationum inter graecorum et christianorum sanctitatem. Lucubratio, plurimis omissis, sic contrahi potest: propinquitas et quasi anticipatio christianae doctrinae apud Graecos; ipsorum viri sancti et herois notiones; harum notionum ab eisdem Christianis differentia. Liceat inter multa haec exscribere: "Vivir así, como el héroe griego, buscar en *lo humano* el equilibrio entre sabiduría y heroicidad, no es ser cristiano; pero tampoco es volver la espalda al Cristianismo, sino estar predispuesto, expectan-

te y abierto a él" (p. 88). Anomalum videtur *sofocleo* pág. 20 lin. 10; 81 24, et *sofoclea* 53 7, cum idem scribat consequentius *sofocleo* 42 7, 54 20 et *sofocleos* 43 11, 55 28, itemque semper *euripídeo* 28 26, 49 4, 50 17, 55 28, 61 26, *euripídea* 79 3; atque idemidem *esquíleos* 50 6, *esquíleo* 72 2, 81 31, 86 17; *epicúreo* 59 28, *epicúreo* 82 11: et recte quidem juxta analogiam vocum hujusmodi omnium: *sucedáneo* 10 30, *áurea* 30 22, *contemporáneos* 53 32, *purpúrea* 79 9, etc. Notandum in primis paginas, vel ipsas lineas, cumulate spiseque eruditione et bibliographia multa esse confertas. Tantis ex meritis, quantum est in me situm, auctori ex opere debeo gratulari.

D'AGOSTINO, VITTORIO. — *La versione latina*. Temi del Latino e dall'Italiano. Testo e traduzione ad uso delle scuole medie superiori. 3.^a edizione riveduta e ampliata. Torino (presso l'autore) 1965. 290 p. 16 × 24 cm.

Hujus libri editio prima anno 1956 vulgata quam auspiciato extiterit, 3.^a ita recens testatur. Parum eam describamus quin ejus virtutes, potius ex auctoris praestantia credendae quam ponderandae, minutatim considerentur. Praeit notatio bibliographica subsidiorum italicorum (sunt duo gallica) quae alumni ante oculos habeant oportet ut bene in libro versando se exercent. Sequitur 1.^a pars: "Conversio ex latino"; quae pars sunt 126 loci progredienti difficultate selecti ex plurimis classicis tam primi quam secundi ordinis; qui loci valde varii tituloque lingua italica praediti, simul anthologiam fere constituent; eis singulis interpretatio italica subest. 2.^a pars contra, "Conversio ex italico", sunt 137 italice inscriptae paragraphi ex optimis Italiae auctoribus ex-

tractae quibus omnibus submittitur interpretatio latina. In "Avvertenza" quae est in initio hujus partis auctor se ostendit ciceroniana puritatis ipso Cicerone cautiorem, ut ita dicamus. Inde fit ut cl. auctor elegantissimus existet latinus interpres. Gaudendum sane, cum sint qui velint certos Ciceronis aliorumque imitatores protinus quasi "*prima analogata*" efferre et latinitatis cujusdam quasi primores et quasi exemplaria summa eos constituere; nobis vero placent Cicero et Tacitus et Salustius ceterique neque tam differentes videntur dummodo eorum evolutio sit homogenea utpote arboris latinae tanquam naturale incrementum. Opus recensitum commendatissimum esse omnibus enixe volumus.

TURNER PALGRAVE, FRANCIS. — John Press. *The Golden Treasury of the best songs and lyrical poems in the English language selected and arranged by — with a fifth book selected by —* London, Oxford University Press, 1965. p. XXI, 615, 9.5 × 15 cm.

F. Palgrave Thesaurus vere aureum est opus si quidem, ut re vera est, selectio poeseos videtur ratione et religione probatissima exarata. Excellentia et aestimatio hujus lyricae selectionis ex eo potest argumento conjici quod non minus quam semel et quadragies edita fuerit, pluries aucta inde ab anno 1861. Quatuor libris ex quibus F. Palgrave Thesaurus constabat quoque 288 poemata continebantur, quintus in hac editione additur liber in quo fit anthologia poetarum ab anno 1861 superstitem atque hodiernorum. Hic liber V a pag. 315 ad 568 locum tenet, quo fit ut maximus om-

nium sit. Post sunt notationes ab ipso F. Palgrave conscriptae, cum cujusque scriptoris titulis selectis index, et poematum primorum versuum ordo. Summatim liber tam pulcher, tam versatilis, musarum in Anglia locuplex testimonium est eisque qui anglicas litteras musasque amant, amoenum viridarium.

WELLER, HERMANN. — *Carmina Latina*. Secunda editio aucta. Ferd. Dummlers Verlag. Bonn. MCMXLVI. XI 269 p. 13 × 17 cm.

Sunt in hoc libro, cujus formam et speciem et chartae dignitatem magni facimus, poemata auctoris in celebri cartamine Hoeffftiano in Batavis summo praemio donata, ceteraque, praeter unum "Hospes Tarentinus" eodem nummo aureo in certamine Latino Locris constituto insignitum, quae in eis magnam sunt laudem adeptae; quae omnia "Agonica" sunt appellata et saltem bis altera editione vulgantur metroque heroico et distichis sunt composita. Poematum horum vires et pulchritudo satis praemiis declarantur. Alterum carminum genus "Varia" vocatum, non quod certamina non adierint eo minus valere videntur, cum ejusdem sint laurea ornati poetae; praeter hexametros et pentametros versus sunt strophae saphicae, alcaicae aliaeque pulcherri-
mae. Demum "Versa" dicta sunt carmina quae ex germanico latine interpretatur poeta quaeque metricae tam ovidianae quam horatianae exempla possunt haberi. Maximae nobis est delectationi carmina Divae Virgini devota invenire.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

POPE, MAURICE. — *Saecula Latina*. From the beginnings of latin literature to Sir Isaac Newton. An Anthology with an introduction on The History of the Latin Language by B. E. Newton. University of Cape Town. 16 × 24, 326 pp.

Pluribus ex partibus si iudices, plura quam moris est hac anthologia scribas; opus est tantum ut id magistris et vere initiatis utilissimum commendemus: in explicandis litteris latinis amoenos textus magistri eosdemque selectissimos habebunt; sunt enim in eo opere scriptores supra septuaginta quorum sua cuique praefatio inditur accurata, et 505 loci anglice quoque inscripti omnes; nulla bibliographia; nec unus index; altera introductio, pp. 269-273, -prima, ut in titulo est, I libri partem constituit suntque ibi multa lectu digna rei peritis—, "Latinum Mediae et Renascentis Aetatis" dicta, III parti praemittitur "Media et Renascentis Aetas" nominatae; cetera, id est, II pars, "Antiquitas" est, quae in S. Isidoro finit; in ea soli Ciceroni plures quam ulli alii paginae tribuuntur, ut rite initiatis appareat conferentibus ipsum esse normam summam per se aeternae latinitatis. Selectio auctorum et locorum arbitrio cuiusque augenda mutandave videatur. Vellem equidem Joannem Ludovicum Vives, vellent alii alios in ea invenire suos... Itaque eleganter Martialis illis versibus "ohe, jam satis est, ohe libelle" explicit liber.

STÉGEN, GUILLAUME. — *Virgile. Les Bucoliques 1, 3, 5, 10*. pp. 63.

STÉGEN, GUILLAUME. — *Virgile. Les Bucoliques 1, 3, 5, 10. Livre du maître*. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, S. A. Namur. 1964. pp. 117. 12'5 × 16'5.

Haec est operis compositio: textui eclogarum integro apte consecto interrogationes plurimae interjiciuntur; sunt dein notae bibliographicae; postremo de ipsa ecloga deque quaestionum materia sententiae latine convertendae, quas "thema" vocant, plurimae proponuntur. In libro magistri et thema latine conversum est, vel quaestio, ut ea circa III, 109-110, fusius explanatur. Quaestiones 1960 pro I ecloga sunt, totae pro ceteris, totidemque responsa, ex quibus exhausta Vergilii carminum cognitio prope sponte sua profluit. Commentarii omne genus in eis impliciti, poematis scilicet conformatio, critica ratio textus, verborum vis, etymon, figurae, vitiosarum typis editarum interpretationum refutatio, loci paralleli, alia exercitia, semper captum sensum grammaticamque explicatam praesumunt, quod idem satis themate perficit ipse alumnus. Tanta materiae varietas magnum in eligendo commodum magistris offert.

PEETERS-FELIX-SCHOIENFELD MAR-
THE, MICHEL. — *Florus. Historia Romana*. Texte abrégé, adapté à l'usage des classes de 5 et 4 des humanités. 1965. Editions de Sikkel s. a. 116 Lamo-
rinièrestraat, Anvers. 13'5 × 21'5, pp 55 + 19 illustr.

PEETERS-SCHOIENFELD. — *Florus. Historia Romana*. Commentaire. Notice, vocabulaire, index et atlas. De Sikkel Anvers. 13'5 × 21'5, pp. 100.

L. Annaei Flori Historia, ab auctoribus aptata et breviata, hoc

consilio editur, ut alumnis, idque a pueris, Romanarum Antiquitatum generatim et specialiter Rerum Gestarum quam plurimum commodetur. In breviando et aptando modus servatur ne indoles Flori pereat; dolendum tamen erat scriptorem et stilo et grammatica interiorem in locum primorum classicorum substituere, quod quidem quibusdam lenitur mutationibus quae, quamquam probandae, iterum graves videntur, tametsi —quod nec etiam paedagogiae favet— litterae u et i (uiuo, eiicio) retinentur, non vero permulta alia palaeographica minuta; immo et mutantur ultro: et moribus scientia paret! Operis jam conformatio haec est: Textum, rubro fronte decorum, in paragraphos titulo gallice insignitas divisum, multae imagines optima charta impressae latinoque indice ornatae distingunt. Commentaria, constant ex notitia F. doctissima, universarum textus vocum (2.400) lexico, quod "fundamentum seu basis vocabulorum" dici potest, nominum omnium glossario, geographico indice, qui 7 tabulis completur. Textus, commentaria, opus totum enixe est technica ratione elaboratum. Optimum discipulis et magistris institutionis et laboris instrumentum.

EULOGIUS TEJERINA, C. M. F.

LUDWIG, WALTHER. — *Struktur und Eingeit der Metamorphosen Ovids*. Walter de Gruyter, Berlin 30, Genthiner Str. 13, pp. 101, 1965.

Auctor, vestigia nonnullorum scriptorum prosecutus (Fränkel, Wilkinson, D'Elia), argute de Ovidii Metamorphoseon libris disserit et investigat; opus quidem pluribus et intricatis difficultatibus implicatum. Post brevem introductionem, agit auctor in primis de Proemio (Mt. I, 5-451),

deinde de mythologica aetate, incipiens ab amore Phoebi (Met. I, 452-XI, 193), denique de aetate historica (Met. XI, 194-XV, 870), breviter quaestiones praecipuas attingens, quas postea in conclusione disquisitionis (pág. 74-86) accurate et ordinate cogillit a prima mundi origine ad tempora Augusti. Opus perficitur quibusdam mnotulis a pag. 87 usque ad pag. 101.

XII Panegyrici Latini. Recognovit brevique adnotatione critica instruxit R. A. B. MYNORS, Litterarum Latinarum Professor apud Oxonienses. Oxonii, e typographeo Clarendoniano, MCMLXIV, pp. XII-299.

R. A. B. Minors, clarus in universitate Oxoniensi Professor, nunc recens in Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensi edidit XII Panegyricos Latinos ad meliores codices aptatos. Hi Panegyrici Latini hoc ordine in volumine continentur: I. Panegyricus Plini Secundi dictus Trajano Imp.; II. Panegyricus Latini Pacati Drepani dictus Theodosio; III. Gratiarum actio [Claudii] Mamertini de consulatu suo Iuliano Imperatori; IV. Panegyricus Mamertini de consulatu suo Iuliano Imperatori; V. Panegyricus Nazarii dictus Constantino; VI. Incerti gratiarum actio Constantino Augusto; VII. Incerti Panegyricus Constantino Augusto dictus; VIII. Incerti Panegyricus Maximiano et Constantino dictus; IX. Incerti Panegyricus Constantino Caesari dictus; X. Eumenii pro instaurandis scholis oratio; XI. Mamertini[?] Panegyricus Maximiano Augusto dictus; XII. Eiusdem Magistri [...] Memet Genethliacus Maximiani Augusti; XIII. Panegyricus dictus Constantino filio Constantini.

Haec editio, ut mos est apud Bibliothecam Oxoniensem, bre-

vem praefactionem continet de codicibus eorumque momento et historia, textum latinum sedula cura editum brevisbusque et criticis annotationibus instructum.

CRAWFORD, ASHLEY, INFIELD, KEMPNER, *Elementary Latin: The Basic Structures*. Part I, pp. 212; Part II, pp. 226. Ann Arbor: The University of Michigan Press, 1963.

Haec nova linguae latinae methodus pro adulescentibus edita est, qui in scholis mediae institutionis latinos scriptores vertere et latine loqui coguntur. Exercitiis pluribus variisque constat, cum ad linguam quamcumque tradendam usu potius quam doctrina procedere oporteat; auctores igitur curam habuerunt de vocabulorum pedetemptim gradatione, de vocum et verborum flexione, praesertim in iis casibus et personis quae maxime in scriptione vel locutione occurrunt, de sententiarum conformatione et ordine, incipiendo a simplicioribus et sensim sine sensu ad complexiores perveniendo; unde fit ut adulescentes ope huius novae methodi facile et jucundo animo ad cognitionem et usum linguae latinae perducantur. Non omnia et singula probamus, uti ex. gr. in pagina alterius voluminis: "*Quid est pimus mensis anni*", "*Quid est signum aprilis*". Sed sunt alia optima, jucunda, curiosa, ut in pagina undecima primae partis variis usus verbi gerere: *tunicam gerere, personam gerere, tibi morem, gerere clipeum gerere, se honores gerere, bellum gerere, squalentem barbam gerere, coronam gerere, res gerere, odium gerere, fruges gerere, onera gerere, fortem animum gerere*. Sententiae, ut in exemplis nunc allatis de verbo gerere, saepe figuris illustrantur, ita ut adulescentes oculi simul et auribus et voce discant.

DORA PYM AND NANCY SILVER, *Advice on Men's Lips*. Centaur Books LTD, 284 High Street, Slough, Bucks. pp. 152, 1964.

Habes in hoc parvo volumine anthologiam scriptorum latinorum ab Ennio usque ad scriptores nostri saeculi, nunc iterum editam, de rebus diversis et majoris momenti. Ultima pagina continet partem orationis apud Cantabrigienses magistros habitae anno MCMLI ad Cancellarium universitatis eligendum. Haec vero anthologia brevis sed luculentum est testimonium perennitatis linguae latinae.

KENNEDY, GEORGE. — *The Art of Persuasion in Greece*. Princeton University Press, Princeton, New Jersey, 1963, XII-350.

Opus hic magni momenti est ad historiam de Graecorum Rhetorica cognoscendam; in eo enim attente et singillatim clarus auctor inquit quid apud Graecos de Rhetorica a saec. V ad I saec. ante Chr. natum scriptum sit et a quibus, antiquorum testimonia diversa profert et de omnibus certum probatumque iudicium promere non recusat. Opus est in suo genere perfectum, quod doctrina atque cognitione rei superat omnibus aliis tractatibus et libris de hac re prius editis.

BACCHYLIDIS. — *Carmina cum fragmentis*. Post F. BLASS et W. SUESS octavum edidit BRUNO SNELL. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubnerii, 1961, pp. 61 + 160.

Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana, Johanne Irmsscher moderante, octavum edidit Bacchylidis Carmina cum fragmentis, praefatione, notulis criticis, testimoniis, variis indicibus instructa. Editio

septima augebatur maxime papyris ab Edgardo Lobel editis, neque neglegebantur quae W. S. Barrett de Bacchylidis paeane et de dactyloepitritis Bacchylideis sagacissime enucleaverat. Haec octava editio, photomechanice quod dicunt, iterata est paucis correctis locis. Fr. 66 additum est H. Lloyd Jones suadente. Indicem verborum in editione septima imissum, nunc iterum restitutum videmus. In praefatione placet praesertim disquisitio de dialecto et de metrica Bacchylidis.

EURIPIDIS, *Helena*. Edidit KARIN ALT: *Bibl. Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana*, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, 1964, pp. XVI-182.

Euripidis fabula, quae Helena inscribitur, Karin Alt recens edidit codicibus et papyris magna cura aptata. Prater textum graecum et notulas criticas, continet brevissimam praefationem et studiorum conspectum, praesertim disertationum quam plurimarum quae de hac re prolatae sunt, inter quas notatu digna est disertatio in commentariis "Helmantica" a professore Alsina Clota edita. Hoc volumen Reimar Mueller sedulo imprimendum curavit.

APULEI PLATONICI MADAURENSIS. *Opera quae supersunt*. Edidit RUDOLFUS HELM. Vol. I. *Metamorphoseon libri XI*. Editio stereotypa editionis tertiae cum addendis, pp. VIII-301, 1962; Vol. II. Fasc. I. *Apologia (De magia)*. Editio stereotypa correctior editionis alterius cum addendis, pp. VI-123; Vol. II. Fase II. *Florida*. Editio stereotypa correctior primae cum addendis, pp. LX-51, 1963: Bibliotheca Teubneriana, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri.

In ultimo Apulei fasciculo cl.

auctor copiose praefatur de praecipuis rebus quae ad *Metamorphoseon*, *Apologiae*, *Floridorum* libros pertinent, scilicet: De *Metamorphoseon* exemplo, de fabulis in illo opere insertis, de auctoris ejusque tempore, de rebus neglegenter compositis, de rebus romanis insertis, de declamationibus, de floridis, de *Apologiae* titulo atque indole, de *Apologiae* compositione, de *Cicerone* exemplo, de horum trium Apulei operum consensu, de memoria horum librorum, de codicibus eorumque vitiis et virtutibus, de interpretationibus additis, de editionibus Apulei. In singulis fasciculis continetur index virorum doctorum, quorum conjecturae in apparatu critico commemorantur, et post hunc indicem textus latinus Apulei cum notulis criticis ad calcem. Sub finem uniuscujusque operis addenda et corrigenda invenies.

CAESARIS. — *Commentarii rerum gestarum*. Edidit OTTO SEEL. Vol. I *Bellum Gallicum*: Bibliotheca Teubneriana, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, 1961, pp. CXXII-353.

Hoc primum volumen C. Julii Caesaris continet omnes commentariorum Belli Gallici libros cum congruenti apparatu critico ab Ottone Seel diligenter parato. Praemittitur ampla praefatio, in qua cl. auctor disserit de rebus majoris momenti, quae ad Caesarem et in primis ad *Bellum Gallicum* pertinent. Notatu dignus est tractatus de Caesaris sermone et stylo (pp. CIV-CXIV). Opus clauditur appendice testimoniorum ad *Bellum Gallicum* pertinentium et duplici indice, testimoniorum videlicet et nominum. Haec editio inter praecipuas editiones criticas Caesaris computanda est.

M. PORCI CATONIS. — *De Agricultura* ad fidem Florentini codicis deperditi edidit ANTONIUS MAZZARINO: Bibliotheca Teubneriana, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, 1962, pp. CI-134.

In prolegomenis cl. auctor late fuseque agit de M. Porcio Catone in iis praesertim quae ad opus *De Agricultura* spectant, commemorat testimonia clariora veterum scriptorum, pergunt deinde ad codices quorum praecipuos recenset, lectiones quas ex Florentino cod. peculiare Politianus in editione Meruliana annotavit cum illis maxime confert quas Victorius in annotationibus, a. 1542 Lugduni editis apud Sebastianum Gryphium, collegit, et cum aliis codd. quae Lutetiae Parisiorum, in Bibliotheca Nationali asservantur et Florentiae, in Bibliotheca Laurentiana. Horum codicum tabulas nonnullas offert conspiciendas. In apparatu critico afferuntur variae lectiones et interdum auctorum testimonia.

M. TULLI CICERONIS. — *Scripta quae manserunt omnia*. Fasc. 4. *Brutus*. Recensuit H. MALCOVATI: Bibliotheca Teubneriana, Lipsiae, 1965, pp. XVIII-126.

In praefatione H. Malcovit breviter disserit de codd. Bruti, de quibus iam prius late egerat in commentariis "Athenaeum" annis 1958, 1959, 1960. Deinde, antequam textus editionem incipiat, ut mos est in Bibliotheca Teubneriana, disputationes editionesque recentiorum temporum praecipuas ostendit, quae Brutum Cicronis maxime attingunt; sequitur tabula siglorum quae in apparatu critico saepius occurrunt; opus vero clauditur indice nominum priorum et indice verborum notabilium ad rhetoricam artem maxime pertinentium. Editio

haec omnibus est numeris perfecta.

PINDARI. *Carmina cum fragmentis*. Edidit BRUNO SNELL, Pars I. Epinicia. Editio quarta, pp. X-190; Pars II. Fragmenta. Indices, pp. VIII-234: Bibl. Teubneriana, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, 1964.

Haec editio anno 1943 primum iam impressa incendiis Lipsiae periit; post alterum omnium gentium bellum iteratis curis e schedulis typothetae feliciter servatae, nunc tandem quartum prodiit. Post editionem Ottonis Schroeder, Bruno Snell in papyris diligentius explicandis, in apparatu critico juxta severiores rationes instaurando manopere allaboravit. In dubiis rebus et locis cum editiones sequitur quae majores vocantur Tychonis Mommsen et Ottonis Schroeder, tum editionem opulentissimam ab Alexandro Turyn vulgatam, qui non modo codices denuo investigavit, sed etiam qua ratione inter se cohaerent accuratius definivit. Ad hanc quartam editionem corrigendam, inter alios, H. Fränkel, W. H. Friedrich, H. J. Mette, S. Randt operam contulerunt. Wolfgangus Müller duos novos textus, quos ipse inter papyros Berolinenses invenerat, auctori primum edendos obtulit, quo fit ut editio perfectior ditiorque evadat.

XENOPHONTIS *De re equestri*. Edidit. KLAUS WIDDRA: Bibliotheca Teubneriana, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, 1964, pp. XXVIII-66.

Auctor hujus editionis in longiore praefatione agit primum de codicibus, postea de textibus gravioribus AB, tertio de archetypo, deinde de pollucis testimoniis, denique de regulis servandis in

hac nova editione. Post praefationem, textus graecus sequitur criticis annotationibus ditatus, postea verborum index litterarum ordine instructus, denique duae tabulae adiectae sunt ex codice Vaticano Graeco 989 et ex codice Vindobonensi Phil. Graec. 37 desumptae. Opus sane ex omni parte perfectum.

T. M. PLAUTUS, *Miles Gloriosus* mit deutschen Kommentar von BRIX, NIEMEYER, KÖHLER; Leipzig, B. G. Teubner Verlagsgesellschaft, 1964, pp. 166.

Haec T. Macci Plauti comoedia constat praefatione, textu latino, comentariis, criticis notulis, brevi denique sed utili rerum verborumque indice ad linguam et stilum spectantium, quae omnia a clarissimis magistris parata sunt et nunc quintum publici juris fit ad quartam editionem aptata. In praefatione auctores agunt de argumento et rerum ordine in hac Plauti comoedia, de ipsius ad graecos ludos comparatione et respectu, de mira Plauti ad romanos mores adaequatione, de loco ludi, denique de ejus temporum tractu. Textus latinus est vere castigatus et ad correctiores codices aptatus. Adnotationes seu commentaria magni momenti sunt ad hanc Plauti comoediam interpretandam, quae quidem, ut ceterae comoediae plautinae, non paucis scatet difficultatibus. Index rerum et verborum utilissimus quoque est, nam paucis paginis praecipua colligit quae ad linguam, stilum, metricam plautinam quoquo modo spectant. Unde optima et utilissima haec recens editio Teubneriana putanda est iis praesertim adolescentibus qui in Lyceis seu Universitatibus Plauto, celeberrimo comoediographo latino, sedulam dant operam.

P. CORNELII TACITI. — *Libri qui supersunt* edidit ERICH KOESTERMANN. Tom. I. *Ab excessu divi Augusti*. Editio altera, 1965, pp. XLIV-451. Tom. II. Fasc. I. *Historiarum libri*, 1961, pp. XIX-274. Tom. II. Fasc. 2. *Germania. Agricola. Dialogus de oratoribus*. Editio decima, 1964, pp. XLIII-128: Bibliotheca Teubneriana, Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri.

Habes, humanissime lector, in his tribus voluminibus opera omnia P. Cornelii Taciti quae supersunt ab Erico Koestermann, clarissimo viro, in Bibliotheca Teubneriana recens edita. In primo volumine, praeter textum latinum criticis notulis ornatum, magnae utilitati tibi esse potest in primis praefatio, quae maxime de praecipuis codicibus agit ad Annales Taciti pertinentibus, et deinde librorum et disputationum conspectus, ubi auctores majoris momenti, qui de Annalibus Taciti praesertim hac nostra aetate scripserunt cum notitia libri vel dissertationis cognoscere potes. Index historicus in fine hujus primi voluminis plurimum te juvabit, ut facile et statim ea in corpore operis invenias quae tibi placeant. In secundo volumine invenies etiam indicem historicum et in principio operis brevem praefationem de historia et momento codicum praecipuorum, ad Taciti Historiarum textum constituendum simulque siglorum et notarum conspectum. In tertio volumine, ubi opera Taciti minora continentur, habes etiam praefationem de codicibus et amplum conspectum editionum et disputationum horum Taciti operum minorum. Nec deest in fine index nominum, quae tibi magnae utilitati esse poterunt. Est igitur haec nova editio Bibliothecae Teubnerianae omni laude et plausu digna tum ex tex-

tu proposito cum ex notulis criticis, quas auctoratas facit nomen editoris et praestantia collectionis Teubnerianae, editas consilio atque auctoritate Instituti Graecae et Romanae Antiquitatis Studiis colendis destinati.

Mittellateinisches Wörterbuch bis zum ausgehenden 13. Jahrhundert. I. Band. Lieferung 7, 8, 9: *armarius - beneficium*. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München 1964-1966, col. 961-1440.

Hoc magnum et praestantissimum dictionarium Medii Aevi, quod consilio et auctoritate praecipuarum Universitatum Germanicarum, Helveticarum et Austriacarum Monachii paucis abhinc annis editur, tribus nunc novis fasciculis augetur, quibus ad verbum "beneficium" hoc anno feliciter pervenit. Multa sunt in his fasciculis laudanda, sed verba quae sequuntur maxime mihi placuerunt: *ars* (Sroder), *articulus* (Payr), *arx* (Langer), *ascribo* (Payr), *assensus* (Payr), *assero* (Zwimpfer), *assigno* (Hessler), *assum* (Payr), *ast* (Prinz), *asylum* (Baader), *atomus*, *atque* (Prinz), *atrium* (Sroder), *attitulo* (Schmidt), *auctor*, *auctoritas* (Hessler), *augeo* (Humperdinck), *augustus* (Payr), *aurum* (Baader), *autem* (Prinz), *baculus* (Payr), *bannus* (Payr), *baptisma*, *baptizo* (Schmidt), *barbarus* (Von Acker), *baro* (Humperdinck), *beatitudo* (Payr), *bedellus* (Baader), *benedico* (Payr), *beneficium* (Hessler). Ex his vero verbis *auctor*, *auctoritas*, *bannus*, *baptisma*, *baptizo*, *beneficium* sunt quae majorem et meliorem explanationem acceperunt; *auctor* et *auctoritas* a columna 1167 usque ad columnam 1182. Maxime optandum ut, in quantum moles et momentum rei patitur, omne opus quam primum ad exitum perducatur.

LEUMANN - HOFMANN - SZANTYR. — *Lateinische Grammatik: Lateinische Syntax und Stilistik mit dem allgemeinen Teil der lateinischen Grammatik*. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1965, pp. XCVIII, pp. 844-935, pp. 89.

Spectatissimum opus *Lateinische Grammatik* clarissimorum virorum Leuman-Hoffmann tandem Antonius Szantyr nunc recens ad finem perduxit. In fasciculis quos hodie lectoribus offerimus continentur alterius voluminis praefatio, index, hujus cum priore editione concordantia, operum et commentariorum compendiosa enuntiatio, opera praecipua quae ad rem grammaticam et ad veteres latinos scriptores singulos magis spectant, de sermone latino Medii Aevi opera praecipua. Postea in tertio syntaxeos et stilisticae volumine invenies addenda et corrigenda (pp. 842-856), rerum indicem (pp. 857-935), complementum quoddam grammaticae res generales continens ad latinam linguam pertinentes pp. 1*—89*; in eis historia latinae linguae primas partes obtinet. Domus manscensis, quae hic praestantissimum opus iterum edidit, omni laude digna est, ab iis praesertim qui de lingua latina maxime dant operam.

L. ANNAEI SENECAE. — *Ad Lucilium Epistulae Morales: Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis*: Oxonii e Typographeo Clarendoniano, recognovit et adnotatione critica instruxit L. D. REYNOLDS collegii Aenei Nasi apud Oxonienses socius, 1965, Tomus I, pp. XX-323; Tomus II, pp. VIII-325-554.

Opportunissime hoc Senecae opus ad Lucilium Oxonii apud Typographeo Clarendoniano pro-

diit, cum tanti romani philosophi atque scriptoris a morte recurrebat undevicesimus centenarius annus. Omnes Senecae ad Lucilium epistulae morales in hoc opere continentur, praefatione praehabita de momento praecipuorum codicum et de eorum historia. Opus clauditur indice locorum scriptorum et nominum priorum indice. Textus latinus criticis annotationibus exornatur ad calcem appositis. Omnia in hoc opere perfecta, praeter quam in fine prioris voluminis tituli libri XII et XIII omittuntur et a libro XI neque libri neque epistularum numerus in superiore parte uniuscujusque paginae ascribitur, ut fit in ceteris paginis hujus operis. Maxime tamen commendamus hanc Senecae editionem, quae aptissima est ad magistrorum et discipulorum apud se et in schola usum.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M.F.

MARTÍNEZ, F. — *El misterio de la Liturgia*, 72 pp. Ed. Herder, Barcelona, 1966, 35 pesetas.

Clarissima domus libraria Herder nobis novam praebet collectionem "Cuadernos de Espiritualidad", quae ab hoc volumine initium capit, cujus finis est Christianorum de Concilii doctrina ad cultum publicum Ecclesiae renovandum certiores facere.

Opus F. Martínez magistri brevi ac verum etiam exstructo primi capituli Constitutionis "De Sacra Liturgia" indice in publicum proponitur. Ideo duas res auctor intendit ut et vim fructumque majorem Christiani percipiant ex Constitutione et in Sacrae Liturgia renovatione a Concilio peracta hoc opus locum tenere possit.

GRENET, B. — *Ontologia*, 300 pp. E. Herder, Barcelona, 1965, 175 pesetas.

Professor B. Grenet Instituti Catholici Parisiensis suo opere lectoribus dare intendit elementa ad praecipuas Ontologiae thomisticae quaestiones comprehendendas atque ad philosophiae hujus temporis problemata firmiter dijudicanda.

De problematibus auctor simplici ac modo a majoribus tradito agit; liber tamen e copiosa rerum collectione constat ut lector det sententiam pristinasque quaestiones nostris temporibus inanes non esse animadvertat. Unumquodque vero problema sic auctor pertractat: et brevis problematis historia usque in divi Thomae dies et expositio et explicatio Doctoris et nova cognitio a divo Thoma usque ad hujus temporis philosophos et demum hujus cognitionis iudicium. Quam ob rem opus incipientibus studiosisque hujus disciplinae viris utilissimum dijudicamus.

GAITÁN, E. — *La clave del éxito periodístico*, 222 pp. Ed. Herder, Barcelona, 1964, 135 ptas.

Acta diurna semper omnibus grata fuerunt atque his nostris diebus, praeter nova plura divulgationis media, adhuc in gratia lectorum sunt. Ideo E. Gaitán, ope regularum certarum ac definitarum imaginumque quibus regulae facilius memoria retinentur, intendit in lucem edere, stylo simplici atque lectoribus aptato, rationem ob quam acta diurna nostra aetate publicorum lectorum favore etiam gaudent. Itaque per decem capita auctor vel lectorem ac scriptorem vel typothetam et operum editorem, praebens unicuique proprias regulas, passim manu ducit ut in conscribendis actis diurnis quasi felicitis

exitus clavem (La clave del éxito periodístico) sibi ipsi inventiant.

Opus tamen et qualitates et artem et peritiam auctoris in hoc scribendi genere manifestat; quam ob rem laudes ei dicamus atque librum omnibus utilitati atque commodo ducimus.

VIRGILIO. — *Eneide II*, a cura di Speranza F., 225 pp. Ed. G. Scalabrini, Napoli, 1964, L. 1800.

Permulta a scriptoribus dicta sunt et de tempore atque humanitate et de fontibus et de traditionibus ante Vergilium atque ejus in posteros momento et de grammaticalibus quaestionibus cum arcaica antiquaque lingua latina et graeca collatis et demum de Vergilii fama et existimatione apud ejus aequales atque insequentes scriptores, sed in primis in litteris epigraphicis.

Libro, quem offerimus, investigationis labori dare operam intenditur atque ex quibusdam Vergilii operis quaestionibus novam lucem promere.

Laudes tamen auctori dicamus quod in libro amplas optimeque instructas invenimus notas, quae et versus verborumque sensum nobis indicant et locos aliorum auctorum vel graecorum vel latinorum similes nobis exhibent.

DELAUNOY, A. - REMY, L. — *Pages choisis de Lucrèce, Catulle, Tibulle, Properce, Ovide*, 100 pp. Ed. Wesmael-Charlier, Namur, 1965.

Opus vero, cujus finis est textum alumni secundum novas programmatarum condiciones aptatum afferre, ex quibusdam Lucretii, Catulli, Tibulli, Propertii ac Ovidii carminibus conficitur. Uniuscujusque poetae brevia de vita, opere atque in posteros momento commentaria nobis praebent auctores.

Ut tamen melius uti possimus, notularum numerum inminuerunt; sunt vero aliae quae nobis carminis thema indicant atque explicant.

Carminum libro auctores variis notulis atque terminis abundantem adjunxerunt fasciculum, quo explicationes in memoria pueri retinere cogantur atque facultate donentur professores ut melius carmina declament et repetant alumni.

Liber demum brevi litterarum latinarum per cursum historiae concluditur summa, hoc modo instructa: 1. — data memoranda; 2 et 3. — historiae graecae et romanae res gestae; 4 et 5. — Graecorum ac Latinorum scriptorum opera clarissima. Quam ob rem ea summa magnae utilitati alumni est ut aliqua de litteris latinis graecisque cognoscant ac sciant.

LATORRE, J. L., C.M.F.

EDDY, SAMUEL. — *The King is Dead. Studies in the Near Eastern Resistance to Hellenism (334-31 B.C.)*, University of Nebraska Press, Lincoln 1961. pp. 390.

Gentes ab Alexandro Magno imperio Graecorum subductae, maximo illo duce occiso, contra alienigenum imperium exurgunt nec vim auctoritatemque hostium patriae sustinent.

Auctor lectorem manu ducit per diversas Imperii regiones eumque docet quo modo ipsae gentes, invadentibus Graecorum armis, doctrinis ac moribus restitissent ab a. 334 ad a. 31 ante Christum natum.

Lucubrationes optimae sunt et documentis quam plurimis et fide dignis innixae. S. Eddy omnibus usus est notitiarum fontibus, qui ad res quoquo modo melius illustrandas conferre valerent.

Ultimum caput rem totam concludit doctrinamque ex diversis

partibus conflatam exponit. Non omnes lectores opinionum cl. S. Eddy participes esse posse credimus, in iis praesertim quae de Judaico bello affirmat. Illi optimi atque religiosissimi viri, qui arma adversus religionis hostes sustulerunt, non tantum politicae artis studio, sed Dei cultus amore agebantur, ut nos Sacri Libri docent.

Sed jam laborem optimi auctoris laudemus oportet, qui ad melius intellegenda tempora historiae tenebrosa lumen novum accendit.

GRIMAL, PIERRE. — *La littérature latine*. Presses Universitaires de France, Paris 1965. p. 126.

Clarissimus magister Sorbonensis Petrus Grimal, de lingua latina bene meritus lectoribusque nostris valde notus, in hoc brevi libro multa atque erudita praebet de litterarum latinarum historia. Quae fuerint casus et fortuna linguae latinae jam ab ejus incunabilis usque ad s. V post Christum natum compendiose explicat.

Huic parvo libro hoc est meritotribuendum quod multa dicat paucis. Multum tamen miramur quod P. Grimal verbum non faciat de litteris latinis christianis, eas quasi concidens ab arbore unius linguae latinae, cujus meliores florentesque ramos usque ad s. V p.C.n. et ultra produxerunt scriptores christiani. Sermone latinum christianum oblivisci non possumus si litteris latinis omnibus studere vel de eis recte scribere volumus.

BOURBON DI PETRELLA, FIAMMETTA. — *Il problema dell'arte e della bellezza in Plotino*. Ed. Le Monnier, Firenze 1965. p. 174, L. 850.

Problema artis Plotiniana non

semel auctorum ingenium allicit. Novus ergo in re liber non est, multa tamen abundat doctrina. Auctor noster in ipsis Plotini libris Enneadum reperire studet qualis ejus fuerit mens de arte et de pulchro.

Aesthetica Plotini ab ejus theoria anthropologica et ontologica pendet; philosophia non est cognitio nuda veritatis, "entis" cognitio et veri et pulchri cognitionem —artis summum fundamentum—, comprehendit. Plotinus enim docet omnia "entia" ad Unum, ad Bonum, ad Pulchrum tendere; hac de causa omnis ejus doctrina rueret si artem ab hac universali in Pulchrum ascensione abscinderemus.

COMBLIN, J. — *Hacia una teología de la acción*. p. 132. Editorial Herder, Barcelona, 1964.

In hoc libro brevem ac compendiosam historiam legimus scholarum sacrae theologiae, quae proximis 50 annis floruerunt. Optima nobis visa sunt ea quae legimus; J. Comblin paucis dicit plurima: hodierna et intricata problemata theologiae exponit, quae animos hominum magis movent quaeque scientia theologica diversis selectisque methodis solvere studet.

Cuique parti apponit auctor indicem librorum, quorum auctores in re, quam solvunt, principes vel scholarum duces sunt.

Hic brevis liber magni momenti et valde utilis esse potest si novos cognoscere volumus progressus theologorum catholicorum.

DESSESSARD, C. — *Le Latin sans peine*. 546 pp. Assimil, 5 rue Saint-Augustin, Paris 1966.

Omnes bene norunt retentionem et viam, quae ASSIMIL appellatur, ad linguas recentiores descendas omnesque multi hos li-

bros habent quorum ope optime loqui didicerunt.

Linguae laete, faceteque traduntur et haec est causa cur discipuli bene multi hanc rationem seu viam sequi maluerint.

Illi ergo cursus ASSIMIL bonam famam adepti sunt, eorundem moderatoribus hoc novum decus inscribendum censemus quod linguae latinae cursus eadem ratione atque ceterae linguae hodiernae tradatur.

Nuper eadem Domus Libraria cursum edidit Linguae Graecae Recentioris iisdem semper rationibus instructum.

Veniamus iterum ad nostrum libellum. Cl. dominus C. Desesard, linguae latinae amator atque fautor, est auctor hujus optimi libri, ipse, qui rerum mechanicarum est operarius: sunt et vivunt illi strenui fortesque viri, qui linguam latinam demortuam et scribendo et loquendo redivivam faciunt.

Multi in hoc libro sunt textus latini ex universa latinitate selecti, perpulchrae imagines eaeque lepidae, exercitationes multae. Magistri tamen linguae latinae unum alterumve legent verbum, quod non nimis aptum vel politum eis videbitur; multae sunt quoque voces peregrinae vel latinitatis sapore carentes.

Auctor, amicorum consiliis inhaerens, librum perfectum facere studebit: meliora seliget verba melioresque dicendi modos.

Sed jam nunc simplex et plana via ad linguam latinam descendam omnibus accomodatam aperta manet.

TARN, W. AND CHARLESWORTH, M. *Octavian, Antony and Cleopatra*. pp. 167. Cambridge University Press, Cambridge 1965.

In hoc libro bellum civile, quod exortum est post Julii Caesaris occisionem, erudite eleganterque

narratur. Historiae tempus valde laboriosum nostra multum interest melius cognoscere, quod et tempora nostra docere simulque dirigere potest.

Operis partes W. Tarn et M. Charlesworth conscripserunt, omnia quae narrata erant in unum colligentes librum. Opus enim alius libri est compendium, cujus index "Cambridge Ancient History". Nihil fere immutaverunt, nisi excipias verba latina et fontium collationes. Ea tamen quae de Cleopatra, Aegypti regina, dicuntur optima visa sunt. Cleopatra mulier pulcherrima, viri acuminis ingenio praedita, maximo imperii studio urebatur; hocque fuit ejus vitae fatum: summum imperium tenere.

SCHMITZ, ALFRED. — Virgile. *Enéide Livre IV. Initiation*. pp. 101. Editions J. Duculot, Gembloux, 1965.

Jam pridem A. Schmitz commentationem edidit de IV libro Aeneidos; nunc vero rem iterum suscipit simpliciori quadam ratione evolvendam.

Mirandus ille Vergilii liber de Aeneae et Didonis amore non bene semper ab omnibus intelligi potest; qua de re multae desiderantur explicationes, quae rem amplius evolvant nostrisque mentibus quasi aperiant.

Hoc novum opus Professoris Schmitz, peritissimi hujus rei magistri, difficiliorum verborum aperit sensus quaestionesque diversas alumnis legentibus in scholis linguae latinae evolvendas ponit.

Id notare velim in hoc libro, quod mihi non multum placuit: sunt enim multi versus conferendi, qui facilius conferri non possunt cum versus latini in hoc libro non inveniantur.

In pag. 98 auctor breviora verba facit de arte cinematographi-

ca; multum, ut opinor, et alumnis et magistris placeret plura legere praecepta seu regulas artis cinematographicae ad classicorum opera interpretanda et in scholis examini subjicienda. De hac vero re optime lateque egit Paul Léglise, in *L'Enéide, un oeuvre de prêt-cinéma*. pp. 139.

AFRICA, THOMAS. — *Rome of the Caesars*. pp. 254. John Wiley & Sons, Inc. New York, 1965.

Roma, vastissimi imperii caput, gentes multas ad humanum civilemque cultum deduxit. Istius vero Urbis et nos cognoscere volumus vivendi cogitandique modum. Professor Africa, americanus, praeclarissimorum virorum Romanorum: Sejani, Agrippae, Pauli Apostoli, Senecae, Iosephi, Apolloni Tyannensis, Plinii Junioris, Taciti, Hadriani, Marci Aurelii, Galeni vitam narrat, quorum res gestae, memoriae, fortuna, pericula quasi veram imaginem nobis reddunt illius maximae almaeque Urbis.

Is, qui attento animo haec omnia perspexerit, clarius videbit de quibus rebus expectatione animi angerentur; quale fuerit pondus religionis atque bonae vectigalium ceterorumque fructuum publicorum administrationis vitamque civium Romanorum primo et altero saeculo et cognoscere et intellegere certo poterit.

Veris quidem fontibus Prof. Africa utitur in enarrandis iis quae ad historiam Romanorum pertinent et hac de causa liber fide dignus videtur optimaque doctrinae.

Multae exstant Urbis historiae, optimi libri, sed in hoc opere Romanam oculis civium clarissimorum Romanorum contemplatur.

Id ultimum notemus: caput Apostolo Paulo dicatum imperfectum nobis videtur. T. Africa officium religiosum hujus maximi

viri fere nihil ante oculos habet ejusque navitatem et alacritatem et plura verba, quae animi Apostoli Jesu Christi sensus aperiunt, artificiose ab ejus missione apostolica distrahere audet.

C. LATORRE GIRAL, C. M.F.

Haec etiam opera, suavissime lector, quae ab auctoribus dono accepimus, animadvertas oportet:

CRIMI, F. — *Tesi di Letteratura Latina*, ad uso dei Licei e degli Istituti Magistrali, 218 pp. Ed. Ciranna, Roma, 1965, L. 650.

CIRANNA, C. — *Tesi di Storia Medioevale*, ad uso delle Scuole Medie Superiori, 132 pp. Ed. Ciranna, Roma, L.350.

VIRGILIO. — *Eneide, libro VIII*. Testo con introd. metr., scansione e cesure a cura del Prof. V. Costa. Costr. dir., trad. interlineare a cura del Prof. V. Lavore. Argomento a cura del Prof. C. Ciranna. 90 pp. Ed. Ciranna, Roma, 1963, L.400.

CICERONE, M. T. — *La prima orazione contro Catilina*, Costruzione dir. trad. interl. a cura del Prof. P. Fontana, 45 pp. Ed. Ciranna, Roma, L.250.

ARGENIO, R. — *Stazio poeta degli Affetti*, 63 pp. Ed. Gugnali, Modica, 1966, L. 500.

Esa sí que es una estrella, hechos célebres o memorables del P. M. Beato Juan de Avila, 130 pp. Ed. Boletín "Heroínas", Gerona, 1953.

Los curas viejos, o la novela del sacerdote español (ensayo) por un Cura de edad media. 222 pp. Ed. Vicente Ferrer, Barcelona, 1966, 100 ptas.

BIBLIOGRAPHIA

MENZIONE, ANTONIO. — *Ovidio: Le Metamorfosi*. Sintesi critica e contributo per una rivalutazione. Biblioteca della Rivista di Studi Classici Edita e Diretta del Prof. Vittorio D'Agostino. Serie Prima. Saggi Vari. N. 3. Scuola Grafica Salesiana - Torino 1964. 268 p.

Gratum sane est librum laudare aliisque commendare. Itemque gratissimum est auctori congratulari deque doctrinae novitate grates reddere. Hic liber est quod in titulo apparet; prima enim pars est recentiorum criticorum complexio et aestimatio valida et nitida et praesertim efficax qua exhauriuntur omnia quae, cujusque sententia aequè ponderata, ad Ovidii comprehensionem aliquid certum conferre possunt. Haec auctorum collatio recentiorum, plurima est et selectissima et criterio quodam organico, systematico, efficaci facta. Ita sub acuto ac reverenti discrimine subjiciuntur sapientissimi viri Wilamowitz, Ripert, Fränkel, Pighi, Wilkinson, Knight, Mariotti, De Saint-Denis, Heinze, Arnaldi, D'Elia, Pöschl, Seel, Paratore, alique omnium praestantissimi ultra 50 in cap. I et II (pag. 7-152); unde patent vires et animi et virtus hujus libri vere certissimi. Rationes quibus auctor ovidianae criticae judicium anno 1959 finit quin efficacitas ejus minuatur, probatae esse videntur; juvatque scire ipsum promittere (p. 90) se recentiore bibliographiam brevi esse consideraturum. Ex ea crisi profluit auctoris sententia in capite II exarata et in cap. sequentibus (pp. 153-268) luculenter textibus interpretatione

et commentario auctis demonstrata: esse nempe in Ovidii opere quamdam epicae expansionis regionem amplissimam ubi ejus et gratia renidet et humanitas regnat. Horum Ovidii sensuum varietas multis Metamorphoseon locis explanatur. Conclusio et indices sequuntur sex. Auctor Ovidium intelligere et amare scientia sua et amore lectorem experte docet. Opus maturum est numerisque perfectum.

EULOGIUS TEJERINA, C. M. F.

CHARMOT, FRANÇOIS. — *Esbozo de una pedagogía familiar*. Herder, Barcelona, 1964, 292 págs.

Magnopere parentum interest librum habere in quo de paedagogia familiari agatur, qua ipsi erga liberos jam inde a tenerrima aetate uti debent.

In opere tractantur parentum officia, quatenus munera sint patris ut capitis ac ducis familiae, quatenus vero sint etiam matris. Perspicuum est parentes felici exitu educationem perficere non posse, nisi eam tamquam cum Deo —Domino cordium animarumque— cooperationem habeant. Quae cooperatio in eo in primis sita est ut officia proprii status fideliter religioseque custodiantur divinaeque gratiae afflatus foveatur.

Educatio —ad mentem F. Charmot— sublime opus videtur quae et in pace et in fide exerceri debet, namque Deus efficiet, uberrima sua gratia, ut fructum afferant semina quae parentes in corda liberorum injecerint.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

